COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Histoire de l'Académie Royale des Sciences. Année MDCCLVIII. Avec les Mémoires de Mathématique et de Physique tirés de Regiſtre de cette Académie, à Paris, de l'imprimerie Royale 1763. 4. 3 Alph. 13 pl. 18 tab. aen.

h. e.

Historia et Commentarii Regiae Academiae Scientiarum Pariſienſis ad annum 1758.

In hiſtoria Academiae inter *obſeruationes ad Phyſicam generalem pertinentes* legitur

1. Narratio de ſtupendis effectibus duorum turbinum, qui in inſula Melita anno 1757 d. 19 Octobr. et 5 Nouembris ſaeuierunt. Prior horum turbinum, qui vix trigeſimam horae partem durauit, adeo ſaeuiit, vt etiam eiusmodi tormenta bellica, quae globos plus quam 40 librarum eiaculantur, euerteret et elocaret. p. 19.

2. In quadam aerifodina agri Lugdunenſis reperiri fertur vegetatio metallica in tignis quercinis, quibus cryptá quaedam olim ſuffulta fuit. p. 21.

3. A Reu. P. BERTIER obſeruatum eſt, fructus, praeſertim melopepones et ceraſa, per hiemem p. 22.

mem optime conſeruari in vaſis fictilibus mu
circumdatis, ſi ea vaſa in medio fundi foſſae, gla
repletae, ita ponantur, vt omni ex parte gl
cingantur et tegantur.

p. 23. 4. Singularis ſpecies Iridis d. 14 Martii an. 17
ſub finem horae 10 antemeridianae viſa eſt Cl. PI
GRE', quae a meridiano circulo paullulum verſus
cidentem declinabat; amplitudo arcus erat prae
propter 5 graduum, pars infima circiter gradus
ſupra horizontem eleuata erat, et conuexitas
bra verſus ſolem ſpectabat, ſed ita, vt recta li
a ſole ad arcum ducta fere ad rectos angulos
genti inſiſteret; curuatura non tam vniformis e
quam in vulgari Iride; et colores eius viuidiores
debantur per tabulas vitreas feneſtrae, quam ap
feneſtra conſpecti.

p. 24. 5. Ill. HALLERUS experientia edoctus, vul
ratione excoquendi ſalem haud parum acidi in
contenti in auras abire, et ea de cauſſa ſalem
nus bonum haberi, cogitault de alia methodo
aquis ſalinarum parandi ſalem, ſine coctione,
euaporatione, per radios ſolis adiuta. Experim
ta eum in finem ab ipſo inſtituta mirifice ſucce
ipſe ad Academiam ſcripſit, quae hoc inſtitutum
vtilitate vehementer commendat.

p. 27. 6. Cl. Abb. SAUVAGES, Societatis Regiae
Monte Peſſulano ſodalis, retulit Academiae,
tuiſſe ſibi araneae ſpeciem, araneis cellarum
mam, ſed ſub dio habitantem in ripis flumi
et aggeribus viarum, ob miram induſtriam,
ſuum ſibi cubile parat, valde notabilem. Ex
enim illud in terra ſaepe ad duos pedes profundu
eiusque ſuperficiem, perfecte cylindricam, rar
tela inueſtit, aditumque claudit porta verſatil
minutiſſimis terrae particulis fabricata, et per
ſic ſuſpenſa, vt quotiescunque aperta fuerit, ſpo
recid

dit suo pondere in os fossae seu cubilis, illud- exacte recludat; ad interiorem etiam huius tae superficiem multa fila annectit, quae ad se hendo, vi non exigua resistit portam aperituris. res obseruationes nondum licuit Viro Cl. insti- re, quae vitae genus harum bestiolarum docere uissent. Fortasse (si nobis coniecturam propo- re liceat) omnia illa animalculi molimina solam aritatem ouulorum eiusdem respiciunt.

Obseruationes anatomicae sunt quatuor.

1) Cl. MORAND Academiae ostendit lienem p. 41.
minis, cuius duae tertiae partes osseae erant. rtia pars, vasis splenicis contigua, substantiae at spongiosae, quae osseae firmiter adhaerebat. terum hic lien neque insolitae magnitudinis erat, que homini, dum viueret, molestus fuerat.

2) *Idem* in corde viri, subitanea morte exstincti, p. 42.
basin duas deprehendit concretiones osseas, et ericardium stricte adhaerens cordi; palpitatio- is tamen cordis vir ille nunquam erat questus.

3) Rustici cuiusdam in montibus Gebeanicis p. 44.
is inde a quarto aetatis suae anno vsque ad sex- m creuit ad quinque pedum longitudinem; for- a tamen eius non erat monstrosa, neque morbus ue prodigiosum incrementum anteceſſerat, neque sum cum dolore vel incommodo quodam coniun- tum fuerat, praeter famem fere continuam, et ur explebilem. Quinto iam anno omnia pubertа- is signa aderant; viribus etiam tantae staturae con- enientibus pollebat puer adeo, vt onus 150 libra- um facile humeris imponeret, et asportaret; men- is tamen vis, licet maior, quam in puero sex an- norum esse solet, non par cum corpore incremen- tum ceperat, sed actiones eius infantiam prodebant. Cum autem septimum aetatis annum attigisset hic

puer, quem omnes gigantem euasurum esse put
bant, crura eius incurvari ceperunt, statura et v
res imminui, vox minus robusta fieri. Nunc vita
agit inter imbecilliores censendus.

p. 46. 4) Cl. HERISSANT Academiae monstru
calculum e vesica equi extractum, in cuius me
erat frustum ligni.

Inter *Elogia*, quae *Historiam* huius anni cl
dunt, legitur IUSSIEU elogium, ex quo quaed
excerpsisse haud poenitebit.

p. 115. ANTONIUS DE IUSSIEU, Eques, Regi Gallia
consiliis et epistolis, Doctor Medicinae, Profess
publicus et Demonstrator in Horto Regio, Acade
miarum Scient. Parisinae et Berolinensis, nec no
Societatis Regiae Londinensis Sodalis, natus ex
Lugduni anno 1686. d. 8 Iulii. Patrem habu
LAURENTIUM DE IUSSIEU, Medicinae Docto
rem, matrem LUCIAM COUSIN, quae, quamdiu i
vtero ipsum gestauerat, mira se teneri sensérat cupi
ditate plantarum cognoscendarum, et herbario
sibi componendo indefessam operam impenderat.
Erunt, qui dicant, hanc rem vitae genus nati por
tendisse. Vtcunque autem sit; certe vulgaris illius
opinionis de phantasiae matris in foetum vi immu
nes fuisse videntur ANTONII parentes, quippe qui
ipsum Ecclesiae destinabant. Neque renuebat filius,
sed annum aetatis decimum quartum agens tonsu
ram patiebatur. At amor plantarum, qui se iam an
te illum annum in ipso manifestauerat, quemque re
primere parentes non multum laborabant, cum ex
ercitationem corporis ac defatigationem, cum ex
cursionibus botanicis coniunctam, infirmitatibus,
quibus corpus filii obnoxium erat, medelam afferre
viderent, amor ergo ille in dies magis magisque cre
scebat, sustentatus inprimis Medici non incelebris,

GOIF-

BIFFONI, inſtitutione, ad quem ANTONIUS ſe applicauerat, cum eum in deſcriptione plantarum circa Lugdunum naſcentium edenda occupari audiſſet. Cui amori cum ſatis ſe poſſe facere, ſi deinceps vitae genus teneret, vereretur, abſoluto in eodem Ieſuitarum collegio Lugdunenſi philoſophiae curriculo, poenituit ipſum conſilii priſtini, et medicinae ſe dicare maluit, ſi id ſibi fas eſſet. Licuit autem ipſi eſſe tam felici, vt et a ſacerdote quodam, viro bono et ſapiente, cui animum ſuum anxium aperuerat, in nouo propoſito confirmaretur, et parentibus ſuis ac magiſtris facile perſuaderet, vt id ratum haberent. Itaque plenus cupiditate artem ſalutarem addiſcendi ſub finem anni 1704 vniuerſitatem in Monte Peſſulano petiit, quod iter plantas prope viam colligens confecit. Ibi per tres annos aſſiduus interfuit praelectionibus CHIRACI et CHICOYNEAU in medicina, MAGNOLII in botanica, DE LA PEYRONNIE in anatomia, et ALIBERT AC LA FAVEUR in chymia. Quod tempus huic doctoribus dandum non erat, aeſtate quidem excurſibus botanicis, hieme autem repetendis laboribus chymicis cum aliquot amicis impendit. In illis autem excurſibus coepit tunc etiam praeter plantas alia ad hiſtoriam naturalem ſpectantia attendere, et praecipue foſſilia ſibi colligere. Nec praxin clinicam neglexit, ſed eam, medico quodam celebri, in cuius familiaritatem et conuictum admiſſus fuerat, diligenter exercuit. Vltimo anni 1707 menſe, poſt habitam publice ſub CHIRACI praeſidio diſputationem *de natura et curatione vulnerum*, iura Doctoris medicinae cum omnium plauſu nactus eſt. Sequenti anno Lutetiam contendit, non alio conſilio, quam vt TOURNEFORTIUM audiret; ſed cum eum morbo, qui vitam eius finiit, correptum inueniret, ſtatim in Normanniam et inferiorem Britanniam

profectus est, nascentes in oris harum prouinciarum maritimis plantas noscendi et conquirendi cupidine impulsus. Ex quo itinere, cum Lutetiam reuertisset, munus Professoris in horto Regio, tunc vacans quod multi ambiuerant, ipsi praeter eius spem atque opinionem demandatum est anno 1710. Proximo anno iter in prouincias Galliae mari mediterraneo adiacentes suscepit, et multis plantis inde reportatis hortum Regium ditauit. Deinceps animum applicuit ad describendam et in ordinem redigendam collectionem plantarum a BARRELLERIO, e familia DOMINICI, in eius per Galliam, Hispaniam et Italiam itineribus conquisitarum, quod opus publici iuris fecit. Postea ipse iter botanicum per Hispaniam et Lusitaniam sumtibus Regiis instituit, et decem mensium spatio confecit, ex quo ingentem plantarum copiam, et magnum numerum rerum memorabilium ex ceteris naturae regnis, in hortum Regium misit. Cum tamen neque hoc itinere expleuisset desiderium incognitas sibi plantas videndi, rursus adiit prouinciam Lugdunensem, vt in montium huius prouinciae fastigiis vix accessibilibus plantas cum fratre exquireret. Et hoc postremum fuit iter eius botanicum; reliquum vitae spatium Lutetiae exegit, muneris sui functionibus, et aegrorum curationi vacans. Obiit apoplexia correptus d. 22 Aprilis anni 1758. Scripta eius, praeter ea, quae in Commentariis Acad. Sc. habentur, sunt: *Additamentum ad Institutiones botanicas* TOURNEFORTII *in edit.* 1719; Liber *de proprietatibus et vsu Simarubae;* et Oratio *de progressu botanices*, cum *Introductione in cognitionem plantarum*, et plurimis Thesibus Medicis.

Commentarii, quos hoc volumen complectitur, sunt numero duo detriginta.

1. *Theore-*

1. *Theoremata dynamica* Cl. D'ARCY.

2. *De solutione sulphuris in spiritu vini: Auctore Comite* DE LAURAGUAIS*. Cum Auctor intelligeret, sulphuris et spiritus vini particulas non nisi in statu vaporum coniungi secum inuicem posse: post vnum et alterum tentamen scopum suum sic optime assecutus est. Magnae cucurbitae, in balneo arenae positae, indidit flores sulphuris, et deinde in eadem lagenam collocauit, in quam vulgarem spiritum vini infuderat, et capitello impositio matracium adaptauit; quo excepit destillatione genitum liquorem, in cuius 14 drachmis decem grana sulphuris soluti continebantur, vt comparatio inter grauitates specificas huius liquoris et spiritus vini instituta docuit. pag. 9.

3. *Cl.* DE LA LANDE *commentatio de inaequalitatibus in motu Martis, quae ex actionibus Iouis in ratione duplicata inuersa distantiarum oriuntur.*

4. *Comitis* DE LAURAGUAIS *experimenta circa mixturas, quae aetherem praebent, circa aetherem ipsum, et circa eius miscibilitatem cum aqua.*** Haec experimenta in ipso contextu, quo Auctor ea enarrauit, legenda sunt. Nobis non licet, nisi quaedam consectaria ex illis ducta hic annotare. Nimirum inde colligit, 1. omnem aetherem, siue vitriolicum, siue nitrosum, solui posse ab aqua, sed ita, vt detur punctum saturationis; hinc semper iacturam aetheris fieri, cum ab eo superabundans oleum per aquam separetur: 2. aquam esse tam aptum auxilium rectificandi aetheris, quam vtilis ea, docente RUNKELIO, est ad spiritus vini rectificationem; p. 29.

* Lecta d. 27 Mai. 1758. ** L. d. 3 Iun. 1758.

et aetherem hoc modo rectificatum facilius miscri aquae, haud tamen vltra certum terminum.

5. 6. *Disquisitionis super positione praecipuorum punctorum in theoria planetarum superiorum*, Pars II et III. Auctore Cl. LEGENTIL.

7. *Cl.* BEZOUT *commentatio de curuis linis, quarum rectificatio a quantitate data pendet.*

8. *Cl.* MARALDI *commentatio de motu nodorum quarti satellitis Iouis.*

9. *Cl.* GUETTARD *descriptio salinarum in* p. 99. *ora maritima Normanniae prope Abrincam.* Descripta hic est ratio parandi salem per ablutionem arenae, quae in littore maris aqua marina imbuta reperitur. Hanc arenam siccam colligunt, et deinde lauant, atque aquam loturae in vasis plumbeis, patulis et parum profundis, super flamma lignorum euaporationi exponunt, donec sal in fundis vasorum gignatur.

10. *Clar.* MACQUER *commentarius de nouo quodam metallo, sub nomine Auri albi, vel Platinae noto,* p. 119. Vir doctissimus, laudatis iis, qui de hoc nouo metalli genere scripserunt hactenus, et inprimis Cl. LEWIS, Anglo, enarrat experimenta, quae super eo ipse et Cl. BAUMÉ coniuncta opera instituerunt. Inter haec maxime notatu dignum est, quod, postquam hoc metallum in furnis fusoriis maximo, quem excitare poterant, igne fundere incassum allaborarant, illud tandem fuderint in foco speculi causlici egregiae virtutis. Partes quae fusae fuerant, si- p. 127. mul atque de foco dimouebantur, rursus solidae euadebant, et superficiem ostendebant rotundam, politam,

politam, ac ſplendentem colore argenti. Huiusmodi pars ſub malleo facile ſe patiebatur in laminam extendi valde tenuem ſine vllis fiſſuris. Tentarunt deinceps ſolutionem huius metalli in aqua regia, quam, vt alii, longe difficiliorem et tardiorem, ſolutione auri, experti ſunt; optime tamen eam ſuccedere viderunt, cum libram vnam menſtrui, quod ex aequalibus partibus acidi marini et acidi nitroſi mixtum erat, in balneo arenae ad ſoluendam vnam vnciam metalli adhiberent. Intellexerunt etiam, praecipitatum huius metalli, per alcalia fixa vel volatilia factum, eſſe quidem pulcre rubri coloris, vt LEWIS annotauit, ſed non niſi cum haud maior copia alcali adhibeatur, quam quae ad ſaturandum liquorem requiritur; ſin autem plus addatur, praecipitati colorem minus minusque ſaturum fieri. Hinc colligi poſſe, monet Cl. MACQUER, haud parum ſoluentis acidi in praecipitato remanere, et exinde rationes reddi poſſe quorundam phaenomenorum a LEWIS notatorum, veluti, cur nunquam omne, quod a menſtruo ſolutum eſt, praecipitari queat, quantumuis alcali ſolutioni frigidae addideris etc. Reductionem cum tenta- p. 130.
rent, eamque conſueto modo obtinere non poſſent, rurſus foco ſpeculi cauſtici vſi ſunt; et tunc nacti ſunt maſſam vitreſcentem opacam; neque tamen ſic veram vitrificationem auri albi peractam eſſe affirmare audent, propter materias ſalinas, quas cum praecipitato miſcuerant. Tandem nouum hoc- p. 131.
ce metallum cum duplo plumbi in cupella torſerunt per 50 horas violento igni, quibus elapſis habuerunt non grauum rotundum ſplendens, ſed laminam, cuius ſuperficies ſuperior erat obſcurior, inferior autem alba et argentei coloris; haec maſſa ſub malleo bene duci poterat, et decima ſexta parte minus pendebat, quam ante cupellationem, neque

que ſolutio eius in aqua regia indicium plumbi praebebat.

11. *De obſeruationibus Mercurii in Sole d. 6 Nouembr. 1756 habitis, et de rectius computandis eiusmodi coniunctionibus, ac theoriae Mercurii elementis perficiendis Auctore Cl.* DE L'ISLE.

12. *Cl.* MACQUER *commentarius de terris argillaceis, earumque ad fuſionem diſpoſitione per miſtionem cum calcariis.* * Cum Vir doctiſſimus, Cl. POTT experimenta in *Lithogeognoſia* expoſita in terris permultis repetendo, didiciſſet, omnes terras argillaceas, quales a natura ſuppeditantur, quamuis alioquin refractarias igni, tamen facile et perfecte fundi poſſe, ſi cum calcariis vel gypſoſis terris commiſtae fuerint, eius rei cauſſam indagare non neglexit. Equidem mox eam quaerendam eſſe putauit in acido vitriolico, quod in argilla ineſſe ſolet. At poſtquam viderat, argillas, calcinatas ſaepius et vehementer, aeque bene ac non calcinatas, cum creta fundi, miſſam fecit hanc coniecturam, aliamque viam ſibi ineundam eſſe intellexit. Etſi autem meditationibus ſuis atque experimentis nondum ad plenam cauſſae cognitionem perductus eſt: tamen hoc perſpexit, rationem, cur argilla apyra, ſi cum terra calcaria miſta ſit, non amplius igni refragetur, ex parte hanc eſſe, quod in omni argilla, quae adhuc in naturali eſt ſtatu, vel quae non niſi per lotionem in aqua purificata eſt, inſit pars arenacea. Nam quotieſcunque hanc arenaceam partem ab altera argillae, igni refractariae, parte, pure argillacea, quae baſis ſeu terra aluminis eſt, ope acidi vitriolici, et phlogiſti ſeu alcali fixi, ſeparauit, deinde

p. 155.

p. 175.

p. 172.

* Lect. d. 26 Mai. 1762.

inde hanc mere argillaceam partem, in magna fer-
uentis aquae copia bene ablutam, cum terris cal-
cariis in varia proportione commiſcuit, nullam ha-
rum miſcelarum fundere igni, quamuis violento,
potuit. Quodſi autem his iisdem miſturis addi-
dit arenam, etiam apyram, ſuper porphyrite ſubti-
liter comminutam, facile earum fuſionem impe-
trauit, dummodo ratio ponderis adiectae arenae ad
pondus miſturae triplam ſeſqui alteram non ſupera-
ret; ratio enim haec maior fuſionem difficiliorem
reddidit, et quintupla fuſionem penitus impediuit.
Igitur hoc tantum reſtat, vt inueniatur ratio,
quamobrem tres hae materiae apyrae, arena, terra
pura argiliacea, et terra calcaria, iuxta certas pro-
portiones idoneas commiſtae, igni ſe patiantur fun-
di; de qua re Cl. MACQUER experientiam et ra-
tionem porro conſulet.

13. *Cl.* DU HAMEL *obſeruationes botanico-me-
torologicae ad annum* 1757.

14. *Cl.* GUETTARD *de lapide molari commen-
tatio.** Lapis, quo in Gallia et praeſertim in regio- p. 207.
nibus circa Lutetiam ad molendum frumentum
utuntur, multum differt ab eo, qui in molis noſtris
et borealium regionum conſpicitur; vt ergo recen-
tiores Lithologi minus conſiderate videantur egiſſe,
cum peculiarem lapidum ſpeciem, ſub nomine la-
pidis molaris, conſtituerunt. Eſt autem Pariſiorum
lapis molaris ſilicis ſeu pyromachi ſpecies, quae a
vulgari ſilicis ſpecie, quae in ſclopetis adhibetur,
non differt, niſi hoc, quod plena ſit foraminum et
cauitatum variae magnitudinis, per totam lapidis
craſſitudinem, quinque ſaepe pluriumue pedum ex-
tenſa-

* Lecta d. 19 Apr. 1758.

tenſarum. Et haec commentatio deſtinata eſt, tum natali ſolo huius lapidis, quam modo, quo is inde eruitur, deſcribendo. Sub finem eius Cl. Auctor etiam coniecturas ſuas de geneſi huius lapidis proponit.

15. *De vera longitudine graduum Meridiani in Gallia Auctore* DE LA CAILLE.

16. *De noua conſtructione telarum, quibus picta aulaea confici poſſunt*, Auctore Cl. VAUCANSON.

17. *Commentatio Cl.* DE LALANDE, *in qua determinatur motus, qui vniuscuiusque planetae primum nodis ab actione ceterorum omnium conciliatur, aequalitas praeceſſionis mediae aequinoctiorum, et mutatio latitudinis ſtellarum fixarum, ſumto grauitationis vniuerſalis principio. Pars I.*

18. *De fluuiis Normanniae, qui terras ſubeunt, aliisque Galliae fluuiis commentarius Cl.* GUETTARD. Inter fluuios Normanniae, quinque, quibus hoc accidit, memorat Vir Cl. Primus eſt is, cui *Riſſilae* (*la Rille*) nomen eſt, et qui *Bellemontium Rogerii* alluit; in huius alueo et ripis fiunt nonnunquam foramina conica, in quae tanquam in infundibula incidunt aquae inferiores, ſuperioribus ob maiorem, quae ipſis eſt, celeritatem in curſu pergentibus. Sic fluuius paullatim in duarum leucarum ſpatio exhauritur et conſumitur aeſtate. Hieme autem curſum haud interruptum agit palam; cuius rei rationem Auctor Cl. partim a maiori hac tempeſtate copia pluuiae, partim a ſtagnis ſubterraneis repetit, quae in viſceribus montium vicinorum latere, non leuis, vt docet, ſuſpicio

p. 274.

* L. d. 12 Iul. 1758.

ſuſpicio eſt, et quae, aqua pluuiali altiore reddita, aquas ſuas fluuio per eadem foramina, per quae illam acceperunt, refundere poſſunt. Foramina autem illa, ſeu cauitates, facile poſſunt exiſtere in ſolo illius regionis, quod plenum eſt ſilicum ſub humo iacentium. Alius fluuius, qui eodem fere modo intercidit, vocatur *Iton*, et eſt is, qui oppidum *Euroicum* praeterfluit. Idemque de amniculo *Aurea* (*l'Aure*) prope *Verniolum* eſt dicendum. Eſt quoque in eadem prouincia riuus (*Sap-André* dictus) qui, vbi in curſu ſuo per vallem occurrit colliculo, in medio vallis iacenti, ſubit hunc colliculum, et in oppoſito latere rurſus exit; neque tamen gurges, nec cauum vllum conſpicitur, in quod decidat, ſed continuo curſu inter ſilices ſe abſcondit. Quintus autem amniculus *Droma* prope *Baiocam*, poſtquam multum iam aquae per foramina minora in alueo eius abſorptum eſt, gurgiti ſubmergitur, nec rurſus prodit in lucem. Sub finem huius commentationis Cl. Vir de famoſa Rhodani occultatione in confinis Sabaudiae et Galliae agit, eiusque claram notionem verbis et icone animis lectorum informat. p. 283. p. 288. p. 293. p. 313.

19. *Equitis* D'ARCY *problema mechanicum.*

20. *Eiusdem deſcriptio Oualium* CARTESII *per motum continuum.*

21. *De oſſificatione commentatio Cl.* HERISSANT*. Petrificationi ſimilem eſſe oſſificationem, communis fere eſt Phyſiologorum opinio; quam tamen relinquere primum coegit Cl. Virum conſideratio magnarum mutationum, quae oſſibus etiam adultorum nonnunquam accidunt. Deinde autem p. 323.

ſeries

* Lecta in publico conuentu poſt Paſcha 1758.

ſeries obſeruationum atque experimentorum in omnis generis oſſibus captorum duxit ipſum ad aliam oſſificationis notionem, quam veram eſſe ſibi non temere perſuaſit. Intellexit nempe, oſſificationem
p.326. non eſſe niſi incruſtationem quandam fibrarum et fibrillarum parenchymatis cartilaginoſi, ad retis inſtar texti, quod vnam partem ſubſtantiae omnis oſſis conſtituat, per particulas terreſtres ſeu cretaceas, quas vaſa illi telae intexta ſecreuerint, et quae alteram ſubſtantiae oſſium partem componant. Quam ſententiam omnino probaſſe nobis videtur Cl. HERISSANT per experimenta coram illuſtri Academia inſtituta, et hic perſcripta, quae partim euincunt, oſſi cuilibet membranas ſeu cartilagines ineſſe, quae oſſificatae nobis appareant, ſed reduci ad veram ſuam formam poſſint, ſi terreſtribus particulis, fibrillis ipſarum inueſtientibus, per liquorem acidum exuantur, partim, eiuſmodi maſſam cartilagineam ſeu cartilaginem, in quam particula ſolidi oſſis emollita fuerit, poſſe arte rurſus in os conuerti, ſeu, reſtituendis in partibus cretaceis, duritiem adipiſci tantam ſuam, quantam celluloſa tela oſſium habeat. Sed haec experimenta in ipſo hoc volumine legenda ſunt, quoniam ipſe Auctor tanta enarrauit breuitate, vt aut contextus orationis ad verbum in latinam linguam transferendus nobis ſit, aut verendum, ne vim eorum probandi, illis ſtrictim recenſendis, multum imminuamus.

22. *Obſeruatio eclipſis lunae d.* 23. *Ianuarii* 1758 *habita a Cl.* PINGRE.

23. *Cl.* DE LA LANDE *commentatio de quibuſdam phaenomenis, quorum cauſſa eſt attractio, quam omnes planetae in tellurem exercent, et ſpeciatim de mutatione latitudinis ſtellarum fixarum.*

24. De

24. *De ossium exfoliatione commentarius Cl.* TE-
ON *. Num in osse exfoliatio semper locum ha- p. 372.
et, si illud per causas externas et recentes, veluti
ulnus inflictum, integumentis suis priuatum fuerit,
vtrum in huiusmodi vulneris curatione remedia
rituosa et siccantia, an humectantia et vnctuosa
ibenda sint, quaestiones sunt, super quibus chi-
rgiae magistri inter se non consentiunt. Quae
ensio in re non parui momenti impulit Virum
vt aliquid certi super his quaestionibus per expe-
iam inuenire conaretur. Igitur in multis cani-
experimenta cepit, ossa eorum coronalia denu-
do, et vulnera diuersis methodis tractando, et
in singulis quotidie obseruaretur, sollicite an-
do, quorundam etiam capita, post vulnerum
onem abscissa, in aqua macerando, donec inte-
enta cranii sponte ab ossibus recederent, vt, quo-
do os in loco vulneris pristini sese haberet, co-
ere posset. Qua ratione didicit, omnem denu- p. 400.
onem ossis, vtcunque curatio instituatur, sequi
foliationem, magis minusue apparentem, vel sal-
decompositionem partium ossis in denudata eius
perficie; quo minus autem sensibilis sit exfoliatio,
o citius sanari vulnus; retardari sanationem a me-
camentis spirituosis, adiuuari contra ab humectan-
bus et balsamicis; vt proinde MONROI metho-
um cetoris praeferre nullus dubitet.

25. *Eiusdem de ossium exfoliatione commentarius*
ter **. In hoc V. Cl. sub examen vocat BELLO- p. 403.
TII methodum vulnera capitis recentia tractandi,
quibus eranium retectum est; et quoniam haec me-
thodus inuentori visa est praecauere exfoliationem,
alii

* Lectus d. 6. Decembris 1758.
** L. d. 18. Aug. 1759.

alii autem contrarium obſeruarunt, oſtendit primum
p.408. Cl. TENON per experimenta, ea methodo exfoliatio-
411. nem, ſaltim inſenſibilem illam, neutiquam euitari.
Deinde cum BELLOSTIUS perforationem cum
vſque ad diploën in parte denudata commendaſſet,
eo conſilio, vt in foraminibus naſcendi facultas ad-
retur tuberculis illis (*bourgeons*), quae reparan-
oſſis integumentis materiem debent ſubminiſtrare,
a quibuſdam autem Chirurgis obſeruatum ſit, non
ſemper in iſtis foraminibus tubercula illa nouella
Cl. Auctor per experimenta diſcere allaborauit, in
quibus in caſibus foramina tuberculis vacua manſe-
ant, tum quae ſit horum tuberculorum origo. Et
ad illud quidem quod attinet, intellexit, ſemper nou
tubercula, ſi perforatio vſque ad ſanguinis quan-
cunque effuſionem facta ſit, ſin autem foramina
humectentur guttulis ſanguinis, nulla in eis ex-
ſiue altius, ſiue minus alte perforatum fuerit o
Originem autem horum tuberculorum, ſiue in ſu-
p.418. eiuſmodi foraminis, ſiue alibi in denudata oſſis ſu-
ficie prodeuntium, ſollicite perſcrutatus, deprehen-
dit eam in tela ſpongioſa oſſium, quod rombo
idem ſibi notare monet, ac Cl. HERISSANT paren-
chyma cartilaginoſum, de quo paullo ante dictum.
Haec enim, inquit, tela ſpongioſa, poſtquam inter re-
rationem emollita eſt, et priuata particulis terreſtri-
bus, quae eam inueſtiebant, intumeſcit, extenditur,
parit exfoliationem, et in ſuperficie oſſis denudati
protrudit illa tubercula granoſa et rubicunda, quae
vulgus chirurgorum pro tuberculis carneis habet,
ſed quae non ſunt niſi partes oſſis terra ſua priua-
tae, quae deinceps nouis particulis terreſtribus re-
ſtiuntur, et oſſeam naturam poſt ſanationem re-
perant.

26. Cl. HERISSANT *obſeruationes doctrinam de morbis oſſium illuſtrantes* *. Cum Vir Cl. ſcire cupe- p. 421.
, qui fieri poſſit, vt a quibuſdam morbis pars oſ-
m duriſſima conuertatur in corpus ſpongioſum,
quo ſingulae cellulae membrana quadam veſtitae
nſpiciuntur, quae in compacta oſſis ſani parte
lla apparet: experimentum inſtituit, quod ſequi-
. Os femoris infantis medium diuiſit, et partem,
qua erant condyli, poſtquam inde partes muſcu-
s et adipoſas abſtulerat, nihilque niſi aliquas ten-
um ac ligamentorum partes et perioſteon reli-
erat, macerauit ſpiritu nitri fumante cum quadru-
a aquae diluto; et cum os, eroſa eius materia cre-
ea, ſatis molle ac flexile redditum eſſet, diſſecuit
d in longitudinem in duas partes aequales, qui-
s omnem ſuccum medullarem et oleoſum, in cel-
is membranoſis haerentem, ſuperinfuſa ſaepius
ua calida eluit; quo facto, portionem perioſtei,
elli prehenſam attollens, leniterque huc illuc
ens, animaduertit, ſacculos membranaceos, qui
ulas ſubſtantiae cellularis inueſtiebant, eſſe pro-
ctiones perioſtei, immo per lentem vitream adiu-
o oculo has productiones inſertas vidit ſubſtantiae
rtilaginoſae, in quam dura oſſis pars per macera-
nem fuerat conuerſa. Itaque quatuor partes
incipales, diuerſae naturae, ad os formandum con-
rere intellexit, quarum prima eſt cartilaginoſa,
cunda terreſtris ſeu cretacea, tertia ſuccus viſcoſus
mucilaginoſus, particulas terreſtres partibus car-
laginoſis agglutinans, quarta denique tela celluloſa
mbranacea, perioſteo continua, quae ſeſe inter
nes fibrillas, fibras, et lamellas ſubſtantiae cartila-
inoſae inſinuat, ſingulis fibris oſſeis, h. e. fibris ſub-
ſtantiae cartilaginoſae cretacea materia incruſtatis,

* L. d. 4 Dec. 1762.

perioſtea quaſi praebet, et rete ſubtiliſſimum ner-
vorum atque vaſorum ſanguiferorum capillarium ſu-
ſtinet. Qua notione oſſis praemiſſa, Cl. BERT-
SANT pergit ad morbos oſſium conſiderandos
p.424. Magno obſeruationum numero ſe edoctum eſſe, ſ-
initium cuiuslibet morbi oſſium, luxatione et frac-
ra exceptis, fieri ab emollitione, et ſequi decompo-
ſitionem ſubſtantiae oſſis, magis minusue ſenſibilem
ſenſibilem ſemper praecedere inſenſibilem, eamqu
fieri, auferendis ſeu deſtruendis ſucceſſiue particu-
lis cretaceis; ſenſibilem eſſe, ſi parenchyma car-
laginoſum aut in maſſam ſpongioſam vel lamin-
diuidatur, quae tamen ſubſiſtant, et ſublato morbo
denuo oſſificentur, aut vna cum materia cretac-
imminuatur, deſtruatur, euaneſcat, vt maxime i
ſenectute fieri ſolet. Quarum omnium mutatio-
num exempla aliquot, a ſe obſeruata, iconibus hu-
p.426. commentationi adiectis exhibet. Ad quaeſtionem,
quid fiat materiae cretaceae, a fibris parenchyma-
tis cartilaginoſi ſeparatae, reſpondet, eam in ſan-
guinem reuerti, et aut cum vrina excerni, aut, v
apud podagricos, in articulos extremitatum oſſibus
morbidis proximos, quin etiam nonnunquam in
viſcera deponi. Quae ſingula ſingularibus obſer-
p.430. uationibus confirmat. Addit, ſpem hinc ſibi fa-
ctam eſſe, fore, vt etiam nodoſa podagra, pro in-
medicabili morbo vulgo habita, arte medica expu-
gnetur, patefacta nunc indicatione, in huius morbi
curatione tenenda; neque experientia ſe omnino
deſtitutum eſſe, ex quo tempore ſatis magnam co-
piam remediorum abſorbentium, cum ſalibus vo-
latilibus coniunctorum, podagricis exhibere coe-
perit.

27. *Cl.* DE LA CONDAMINE *de inſitione va-*
riolarum commentarius alter, quo hiſtoria huius me-
thodi

*odi, ab anno 1754 usque ad 1758 continuatur.** hoc commentario Auctor Cl. primum supplet p. 439.
edam, in priori omissa; deinde fata, quae haec
ethodus annorum quinque 1759 antecedentium
atio in Gallia habuit, progressusque, quos in
nglia, Dania, Suecia, Germania, Belgio, Helue-
, Italia fecit, commemorat; denique Cl. DE
AEN quaestionibus erudite respondet.

38. Cl. ROMIEU (Societatis Regiae in Monte
essulano Sodalis) *commentatio theoretica et practica*
systematibus musicis temperatis.

II.

Flora Britannica; siue synopsis methodica stirpium, sistens arbores et herbas, indigenas et in agris cultas, in classes et ordines, genera et species redactas, secundum systema sexuale; additis nonnullis nouiter detectis, cum classium, ordinum et generum characteristicis, specierum descriptionibus, et virium epitome, tabulis aeneis illustrata. Post tertiam editionem synopseos Raianae, opere DILLENII concinnatam, nunc primum ad LINNAEI methodum dispositа, Auctore IOHANNE HILL M. D. Societ. Reg. Burdigal. etc. Soc. Londini, impensis Iac. Waugh. 1760. 8 mai. alph. 1. pl. 19, tab. aen. 30.

Licet Flora Britannica, a RAIO primum condita, et a DILLENIO postea magis exculta, botanicis notissima sit, titulusque huic quartae editio-

* Lectus in conuentu publico d. 15 Nouembr. 1758.

ni praefixus ſatis et abunde doceat, quid Cel. WILLIUS nunc praeſtiterit, et quomodo eandem nouam veſte indutam ediderit magisque perfecerit, nulla tamen ſunt, quae moneri debent, quo editionis praerogatiua clarius eluceſcat. Plantaitaque, in tertia editione memoratas, determinatas aeque ac dubias, omnes methodo ſexuali diſpoſuit et plerasque nominibus ſpecificis, a LINNAEO confectis, inſigniuit, in multis vero RAII, DILLENII nomina retinuit, recentiorumque omniſit ſynonyma, vt et quandoque modo triuialia adpoſuit. Cuilibet generi characteres praemittit, illos autem, a RAIO exhibitis, Linnaeanos nunc ſubſtituit, et integram definitionem ex LINNAEI generum editione quinta iisdem verbis repetit; ſynonyma vero, loca natalia, obſeruationes, deſcriptiones, virtutes et quae alia de ſpeciebus in editione Dilleniana annotata legimus, eadem omnia retinuit, prout etiam easdem plantarum icones, 24 tabulis expreſſas, denuo inſeruit, his autem decem nouiter delineatas in quinque tabulis addidit. Sunt illae: 1) *Campanula patula* LINN. ſpec. ed. II. p. 233. 2) *Statice reticulata* ibid. p. 394. 3) *Silene anglica* ibid. p. 594. 4) *Dianthus deltoides* ibid. p. 581. 5) *Ciſtus ſurreianus* ibid. p. 743. 6) *Ciſtus polifolius* ibid. p. 745. 7) *Siſimbrium murale*. ibid. p. 918. 8) *Siſimbrium monenſe*, ibid. p. 918. 9) *Ononis repens* ibid. p. 1006. et *Vulneraria ſupina flore coccineo* RAI. Syn. III. p. 325. Praefationis loco introductionem in rem herbariam Cel. Auctor adpoſuit, et primo partium, quae vegetabilia conſtituunt, definitiones, ſecundo ſyſtematis ſexualis explicationem dedit, quae autem omnia a LINNAEO ſunt mutuata, iisdemque verbis repetita, immo et tabulam, quae claſſium characteres iconibus docet, ex Archiatri generibus deſumtam, addidit. Indiculus plantarum dubiarum

rum, qui editioni tertiae in fine adpositus est, in ea nouae desideratur, neque plantas, in eodem memoratas, a Cl. HILLIO ipsi florae insertas, neque eadem multis nouis accessionibus auctam fuisse, dubitare potuimus.

Addamus mox aliam, quae quinta quasi est, editionem, vel si mauis, nouam Floram Britannicam, eiusdem titulo euulgatam:

III.

GULIELMI HUDSONI Reg. Societ. Soc. et Pharmacopoei Londinensis, Flora Anglica, exhibens plantas per regnum Angliae sponte crescentes, distributas secundum sexuale systema, cum differentiis specierum, synonymis auctorum, nominibus incolarum, solo locorum, tempore florendi, officinalibus pharmacopoeorum. Londini ap. I. Nourse et C. Moran. 1762. 8 mai. alph. 1 pl. 11½.

Fundamentum huius operis, quoad catalogum plantarum, vt ipse Cl. Auctor fatetur, Synopsis Raiana agnoscitur: cum vero huius exemplaria apud bibliopolas nulla amplius inueniantur, et recentiori tempore res botanica insigniter aucta et inprimis Archiatri LINNAEI methodo facilior reddita fuerit, Anglicam floram sua industria componere, eandemque Linnaeanis regulis superstructam edere voluit HUDSONUS. Itaque sexuali methodo plantas disposuit, characteres genericos, essentiales maxime, ex systematis naturae edit. X adduxit, inter specifica nomina ea primum, quae in speciebus plantarum dederat LINNAEUS, non omissis trivialibus, exhibuit, et synonyma aliorum, inprimis C. BAUHINI, RAII, GERARDI et PARKINSONII postposuit. Non

tamen, vt saepe fieri solet, coeco quasi impetu, in his LINNAEUM secutus est, sed et in generibus et speciebus quandoque ab eodem recessit. Ita *Anthecii* genus, a MOEHRINGIO conditum, restituit, et ab *Antherico* separauit; ex *Gentiana*, *perfoliata* LINN. nouum fecit genus, *Blackstonia* dictum, sequentibus characteribus desmitum: Calix octofidus, corolla monopetala, tubus nullus, limbus octofidus, filamenta octo, totidemque antherae, stylus nullus, stigmata duo, capsula vnilocularis, binalmis, semina numerosa parua. *Ficariam* quoque cum DILLENIO conseruauit et a *Ranunculo* denuo separauit. Sic et *Bufoniam* a tetrandriis ad diandria, et *Cuscutam* a tetrandriis ad pentandrias amandauit. Ita *Phleum arenarium* est *Phalaris spica ouata calycibus valuulis dorso ciliatis, culmo ramoso. Tordylium Anthriscus* est *Caucalis umbella conferta, seminibus globosis, foliolis ouatis pinnatifidis* et s. p. Nomina quoque specifica interdum mutauit et noua construxit, e. gr. *Veronica*, aruensis, *floribus solitariis foliis cordatis incisis sessilibus*, et agrestis *floribus solitariis foliis cordatis incisis petiolatis*; *Valeriana*, dioica, *floribus triandriis, dioicis, foliis radicalibus ouatis, caulinis pinnatis*; *Viola*, tricolor, *caule triquetro diffuso, foliis oblongis incisis, stipulis dentato pinnatis, lacinia suprema oblonga crenata petiolata.*

Quo autem Floram hanc omni parte perfectam exhiberet Cel. Auctor, nomina etiam Anglica, vel ex aliis scriptoribus desumta, vel nouiter confecta adposuit, eo inprimis respiciens, vt generica obtineret, quo in patriis nominibus aliquando confusioni, quae hodie regnat, finis imponatur. Loca natalia vel ex RAIO vel propriis amicorumque obseruationibus vbique indicauit, durationem etiam, an annua, biennis, perennisue sit planta, an frutex, an arbor, immo et florendi tempus notauit. Quo autem

autem Angliae propriae plantae eo facilius cognoſci poſſint, eas, quae ſine cultura extra hortorum pomeria non raro vegetant, aſt ab origine purgatiores earum ſuam debeant propagationem, aſteriſco ſolicite diſtinguit, et plantas cultas, non indigenas, vt *auenam ſatiuam*, *ſolanum tuberoſum*, plane omiſit. Hoc itaque ſtudio compoſita Flora non ſolum plantas a RAIO et DILLENIO memoratas continet, ſed multae acceſſere nouae, quae vel ab hiſce Viris inter Britannicas plantas non relatae ſunt, vel a nullo botanicorum hactenus recenſitae, vel aliae denique, a RAIO quidem adductae, a recentioribus vero aut minus recte cognitae, aut pro varietatibus habitae. Harum omnium catalogum exhibere nimis longum foret, ſufficiat aliquas nominaſſe. Ad priores pertinet *Circaea alpina*; *Phleum nodoſum*; *Geranium pyrenaicum perenne* TOURN. nomine *Geranii* perennis, *pedunculis biflori foliis inferioribus quinque partito multifidis rotundatis, ſuperioribus trilobis, caule erecto*; *Campanula vniflora* etc. Nouae prorſus ſunt: *Phleum*, paniculatum, *panicula cylindrica ſpiciformi, glumis glabris, culmo ſubramoſo*; *Aira*, ſetacea, *foliis ſetaceis, panicula ſecunda coarctata, ariſtis floſculis duplo longioribus recuruis*; *Galium*, erectum, *foliis octonis glabris lanceolatis mucronatis, caule ſuberecto. paniculis terminali, pedunculis dichotomis*; *Mentha*, hirſuta, *floribus capitatis globoſis, foliis ouatis, ſerratis, ſtaminibus corolla breuioribus*; *Satyrium*, fuſcum, *bulbis palmatis, foliis oblongis, nectarii labio trifido aequali*. Inter dubias, nunc determinatas, occurrit: *Gramen paniculatum maritimum vulgatiſſimum*, et *Gramen pumilum loliaceo ſimile* RAII Syn. vtramque plantam ad *Poam* reduxit Cel. Auctor; *Plantago alpina latifolia* eſt *Plantago*, montana, *foliis lineari lanceolatis, baſi lanatis, ſpica ſubrotunda, ſcapo tereti.*

Dipſacus ſylueſtris ariſtis fructuum erectis, a *ſatiuo* ariſtis recuruis praedito diſtinguitur; *Primulam veris maiorem minoremque* a ſe inuicem ſeparauit, dum huic ſcapum vniflorum, priori multiflorum tribuat. *Peucedanum minus* RAII eſt *Peucedanum foliis pinnatis foliolis pinnatifidis, laciniis linearibus oppoſitis, caule ramoſiſſimo patulo. Pimpinellam maiorem* foliolo impari trilobo, et *Chamaenerion paruo flore* foliis undulato ſerratis decurrentibus caule ſubſimplici, ab altera *flore magno* praedita, foliis ſerratis ſubdecurrentibus caule ramoſo ſeparauit. *Ericam cantabricam* RAII. *Vaccinium racemis nudis, foliis integerrimis reuolutis, lanceolato ouatis, ſubtus tomentoſis* ſimili modo et *Trifolium ochroleucon*, nec non *ſtellatum glabrum*, etiam *purpureum maius foliis longioribus; Violam martiam alpinam* et *luteam grandiflorum; Abrotanum anguſtifoliam laciniatam*, et *anguſtifoliam maritimam* RAII a ſe inuicem atque aliis ſpeciebus ſeparauit. Ex his nonnulla in noua LINNAII ſpecierum editione iam notatae exſtant, vt bidens minima, alias autem fruſtra in eodem libro quaeſiuimus.

Multum itaque aucta fuit Cel. Auctoris ſtudio Britannica Flora; ipſe tamen ſibi non omnia, ſed partem aliquam amicis, qui plantas ipſi ſuppeditarunt, grata mente tribuit, inter quos nominat ALCHORNE, BOLTON, COLLINSON, LYONS MILLER, WATSON, WILMER et praecipue STILLINGFLEET. Cl. HILLII autem Floram nullibi citatam, nullibi Eiusdem Viri commemorationem factam fuiſſe, cognouimus, an Flora haec in Anglia et Londini rara? an huius editionis nullam HUDSONUS habuit notitiam? Videtur ita. LINNAEUS in noua ſpecierum editione HUDSONUM quandoque, HILLIUM autem nunquam adduxit. Icones nullas, nullasque plantarum deſcriptiones exhibuit

exhibuit Auctor, quodsi factum esset, maxime absoluta esset plantarum Anglicarum notitia.

IV.

Traité de Physiologie dans lequel, apres avoir etabli des theses sur le mechanisme des nos fonctions, on donne une explication courte des phénomenes du corps humain. Par JEAN FERAPIE DUFIEU, Docteur en Medecine, Correspondant de la Societé Royale des Sciences de Montpellier, & actuellement Chirurgien au grand Hôtel-Dieu de Lyon. à Lyon, chez Claude Marie Iacquenod, fils. 1763. 12 mai. Tom. I. pl. 18. Tom. II. pl. 12.

i. e.

Tractatus de Physiologia etc. Auctore DUFIEU.

Magnorum nosocomiorum in vrbibus populosioribus ea sane est vtilitas, vt obseruationibus incerta confirmari et experimentis captis occulta detegi possint, si medici et chirurgi in illis versantes omnia rite administrant. In nosocomio magno Lugdunensi Auctor clarissimus hoc praestare tentavit, siquidem varias obseruationes medicas et chirurgicas edendi iniit consilium, quod vero postea mutauit, prouti in praefatione refert, et miras corporis humani actiones atque functiones prius rimari maluit, qua in re methodo docendi ista singulari est vsus, vt quaestionibus et responsionibus summam rerum proponat, obiectionibus dubia moueat, atque haec iterum argumentis probantibus remoueat, quae

quae fortaſſe nonnullis placebit. Tandem promittit, ſe morbos noſocomii iſtius alio tempore deſcribere, et demonſtrare velle, ſolas enim obſeruationes medicos et chirurgos efficere credit; qua de re vero dubitabunt fortaſſe haud pauci.

p. 3. In ipſa introductione mox, quid ſit phyſiologia diſquiritur, et, cum eius obiectum ſiſtat corpus humanum, huius quoque natura, coniunctio cum anima et actio proponuntur, et poſtea ad ipſam tractationem fit tranſitus.

Capite igitur primo de duriſſimis agitur corporis partibus, vel oſſibus, quae ad ſceleti contemplationem et compoſitionem pro ratione diuerſarum partium enumerantur, ac deinde eorum formationis modus explicatur. Effinguntur autem oſſa a lympha, quae ea nutrit; hoc ex eo probatur, quoniam lympha leniſſimo calore coit; quoniam variis principiis conſtans, vt albumen ouorum, omnium animalis partium inſeruit accretioni; quoniam mox poſt primum conceptionis tempus, et poſtea quoque, totum nutrit; quoniam lymphae circuitus cum reliquis humoribus motis conuenit et inde facilius experientia et phaenomenis phyſiologiae explicari poteſt. Eſt enim humor viſcidus, qui in eius vasa particulas deponit pingues; qui, ex fractorum oſſium finibus exſudans, callum effingit, et os deperditum reſtituit, iterumque ex oſſe machinae Papinianae ope ſub glutinis forma extricatur. Praeter ea cum lympha ſit humor glutinoſus multis particulis ſeroſis refertus, qui in vaſa ei propria delatus partes deperditas reſtituit et nutrit, oſſa quoque et nutrire et reſtituere debet. Experientia ipſa hoc probatur, ſiquidem ad oſſa maiori in copia delata lympha, ea tumida et morboſa reddit, e contrario vero oſſa particulis lymphaticis orbata contrahuntur et efficiuntur fragiliora. Quibus licet plura opponi poſſint, quod quidem

quidem lympha nutrire et ſimul oſſa morboſa red- p. 13.
dere nequeat, ea tamen facile remouentur, quoniam lympha in ſtatu naturali vix vlla ratione morboſum quid excitet, niſi fortaſſe cauſa quaedam praeternaturalis accedat, quae eius tranſitum impediens varia excitare poteſt mala. Neque huic ſententiae iſta p. 17.
cl. DUHAMELII, qua oſſa a perioſteo oriri exiſtimat, eſt contraria, ſiquidem perioſteum vaſa gerit lymphatica, ad os lympham ipſam vehentia, neque etiam ea, qua ſanguini, ope vaſorum ad oſſis intima penetranti, adſcribitur nutritio, lymphae in oſſibus formandis et nutriendis infringit vſum, quoniam et a ſanguine ſecernitur lympha. Sed cum a ſanguine p. 22.
ſecernatur, inde noua enaſcitur obiectio a circuito ſanguinis in duro oſſe admodum impedito et a corde nimium remoto deſumta, ſed et haec facile ex ſanguinis circumeuntis phaenomenis et legibus remouetur. Inde vero ea ſententia, qua ſucco neruorum oſſa nutriendi tribuitur officium, opponitur, quam vero Auctor variis phaenomenis ex brutis animalibus, praecipue a cornuum incremento ceruorum deſumtis, tollit, ſiquidem ex eo parari poſſit gelatina. Sic quoque quae ab induratione tendinum, a medullae liquore nutriente deſumuntur obiectiones, variis ſoluuntur argumentis, quibus de oſſium ortu, in iunioribus differentia, colore et partium componentium ſtructura annectitur conſideratio, et cartilaginum ac ligamentorum exhibetur deſcriptio.

Haec excipit caput ſecundum, quod de muſculis p. 42.
agit, vbi muſculorum fabrica deſcripta, omnes totius corporis enumerantur muſculi, inde in genere quomodo muſculi agant, et poſtea quomodo motus muſculorum fiat et excitetur, proponitur. Muſculorum autem actio producitur, dum fluidum nerueum in fibram muſculoſam ex ſubtiliſſimis veſiculis conflatam

flatam intrat, veſiculas extendit, et accurtationem efficit, idque ex eo apparet, quoniam ligato vel diſciſſo neruo omnis motus ceſſat muſcularis. Licet enim ille quoque ceſſet, ſi arteria ligetur vel diſcindatur, attamen hoc tantum poſt aliquod temporis interuallum fieri ſolet, praeter ea vero motus iſte a noſtra dependet voluntate, ſic etiam aliae opiniones de elaſticitate fibrarum motum producente, de aethere, de electrica materie, de aere veſiculas inflante, de attractione motum excitante refutantur. Haec excipit virium muſculorum conſideratio, vbi variorum auctorum computationibus et obſeruationibus recenſitis, num muſculi luxatione affici vel e loco naturae praeſcripto moueri poſſint, diſquiritur. Et licet hoc a nonnullis fuerit aſſumtum, Auctor tamen de eo dubitat.

p. 88. Capite tertio, quod de cerebro, neruis, horum actione, atque de ſpirituum animalium et animae exiſtentia agit, primo cerebrum ipſum cum partibus illud ambientibus et conſtituentibus, atque deinde nerui tam ex cerebello quam medulla oblongata et ſpinali orientes deſcribuntur, hinc ſpiritus animales in cerebro et neruis exiſtere, ex variis phaenomenis demonſtratur, quorum maximum eſt, quod nerus, ad diaphragma accedente ligato, mox omnis huius muſculi ceſſat motus, qui vero motus iterum excitatur, ſi neruus a ligatura verſus diaphragma digitis comprimitur; ſed et hic motus ceſſat, ſi per aliquod temporis ſpatium compreſſio durauit, et licet varia obiici poſſint, qualia ſunt, fluidum neruorum et cauum neruorum non in ſenſus incurrere; vibrationem ad motum neruorum explicandum ſufficere, caeteraque; haec tamen variis obſeruationibus atque argumentis remouentur, inprimis
p. 160. vero in explicatione vigiliarum, ſomni, imaginationis,

is, delirii, et memoriae multis hiſtoriis phaenome-
ta illuſtrantur, ac poſtea natura ſpirituum ani-
alium deſcribitur, de qua, remotis aliis ſententiis,
recte concludendum eſt, inquit, ſuccum neruo-
um nihil aliud, quam ſubtiliſſimam partem ali-
entorum eſſe.

His conſideratis quaeſtio proponitur, vbi ſit p. 191.
ſedes animae? num ea in ſubſtantia materiali an
ſpirituali exiſtat? et qualis ſit eius cum corpore
nio? Ad haec, CARTESII ſententia de ſede ani-
mae in glandula pineali aliisque opinionibus remo-
tis, tandem ex obſeruatione ſingulari in iuuene ſe-
decim annorum, cui terebra, poſt laeſionem ab ictu
lapidis inflictam, aperiebatur caput, demonſtrat cor-
pori calloſo ſedem animae eſſe adſcribendam. Ipſius
autem animae exiſtentia copioſe demonſtratur, con- p. 195.
tra materialiſtas pluribus diſputatur, de brutorum
animalium animabus nonnulla proponuntur, vete-
rum ſententiae variae, quid ſit anima, referuntur,
ſedes eius, num in toto corpore ſit expanſa, dis-
quiritur, tandemque cur in ſomno vix agat anima
demonſtratur.

His propoſitis capite quarto de pectoris orga- p. 259.
nis eorumque muneribus agitur, vbi primo circu-
latio ſanguinis conſideratur, antea vero, quam ad
ſanguinis circuitum propior fit acceſſus, quae pe-
ctus tam conſtituunt, quam includunt partes re-
cenſentur, praecipue autem cor accuratius cum ar-
teriis et venis ei annexis et per corpus diſtributis
deſcribitur. Quo facto ipſius ſanguinis tranſitus
per cordis caua diuerſa et quomodo ex his in ar-
terias intrat atque per venas iterum ad cor reue-
hitur, explicatur, quae cuncta variis experimentis
et obſeruationibus maxima ex parte notis compro-
bantur. Varia quidem hic opponuntur, quae ve-
ro cuncta, cum non magni ſint momenti, facile

remo-

p.307. remouentur, ſic quoque ea obiectio, qua circul
ſanguinis foetui in vtero viuenti denegatur, varii
argumentis refutatur et hac occaſione circuli ſa
guinis diuerſitas in foetu proponitur. Pari ratione
cum circuitus ſanguinis primaria cauſſa in cordis con
tractione et motu ponatur, variae tam veterum
quam recentiorum contra eam proferuntur opinio
nes, quibus ex ipſa cordis ſtructura et mechanismo
refutatis, motus cordis alterni cauſſa fluido nerueo
quidem adſcribitur, dubia tamen vera motus cauſſa
p.318. pronunciatur. Ceterum ex ipſa contractione cor
dis et perpetuo impulſu noua effingitur obiectio,
cordi inflammationem vix non ſemper imminere,
neque hoc denegatur, ſed potius variis obſerua
tionibus in noſocomio ab Auctore collectis com
probatur, raro tamen contingere, quoniam ſan
guinis perpetuo motus ſemper renouatur. Plura
p.323. tandem contra cordis motum et vim ſanguinem
propellendi proferuntur dubia, quae, dum expli
cantur, variis conſiderationibus anſam praebent, e
quidem cordis vis non ſola, ſed vaſorum vis oſcilla
toria aliaeque cauſſae in vaſis accedentes ſanguini
p.341. iuuant progreſſum. Ipſe autem ſanguis, variis par
ticulis compoſitus, eſt humor alimentitius, ruber,
craſſus, mucoſus, blandus, ſaporem ſalinum et le
nem vrinoſum linguae imprimens, quae qualitates
paulo accuratius explicantur; particulis enim varii
eſſe compoſitum, ex eo probatur, quoniam varii li
quores, vt vrina, ſaliua et cetera ſecernuntur ex ſan
guine. Rubor dependet a globulorum vnione, li
cet enim globulus per ſe non ſit perfecte ruber,
quo plures tamen vniuntur, eo viuidior ruber co
lor, indeque nitri aërei cum ſanguine commixtio
non eſt neceſſaria, neque ad pulmonum actionem
eſt reſpiciendum, quoniam ad mentem Auctoris va
ſa capillaria plurimum conferunt et fere ſola ſan
guifica-

guificationem peragunt. Ex ſanguine vero proxi-
me ſecretus humor eſt lympha, in vaſis lymphaticis
nota, quae ad varios vſus impenditur.

Reſpirationis negotium hinc in cenſum venit, p. 49.
bi organa cuncta, quae ad reſpirationem pertinent,
aſpera arteria cum larynge, pulmones, eorum ve-
cularis ſtructura et diaphragma deſcribuntur, poſt-
a ipſa reſpirationis cauſſa traditur, quae in expanſio-
e et contractione pulmonum et thoracis conſiſtit,
horacis vero motus ope muſculorum intercoſta-
um, diaphragmatis et eleuatoris ſterni efficitur, et
ex varia tam in hominibus, quam animalibus et
praecipue inſectis obſeruata opponantur, ad cuncta
men reſpondetur, et tandem reſpiratio in aſthma-
ica explicatur, difficilis. Quibus demonſtratis de
oquela agitur, vbi, quid aſpera arteria, larynx, glot-
is, epiglottis caeteraeque partes, ope aeris tranſien-
is variis commotae, ad conformationem vocum et
ſonorum variorum conferant, demonſtratur; dein-
de quis vocem ab aſperae arteriae conformatione ſin- p. 398.
guli dependere, et quomodo vox articulata in ho-
minibus ope linguae et totius oris producatur, ex-
plicatur; porro riſus, tuſſis et quomodo ab hac dif-
ferat ſternutatio oſtenditur, quibus ronchi, ſingul-
tus, et ructuum ſubnectitur conſideratio.

Ex pectore ad abdomen Tomo ſecundo perue- p. 443.
nit Cl. Auctor, vbi poſt partium in abdominis cauo
contentarum deſcriptionem digeſtio exponitur. In ex-
ponenda digeſtione ad variam alimentorum mutatio-
nem eſt reſpiciendum. Ore aſſumta alimenta dentibus
maſticantur, cum ſaliua, humore in glandulis variis
ſecreto, commiſcentur, lingua conquiruntur, verſus
fauces feruntur, atque per oeſophagum in ventriculi
cauum perueniunt, vbi liquore gaſtrico accedente

magis ſoluta et ventriculi actione in paſtam molle
et tenuem mutata ſenſim ſenſimque per pylorum
in inteſtinum duodenum deferuntur, in quo bil
ſuccus ſaponaceus amarus accedens, viſcidas et gl
tinoſas alimentorum partes magis reſoluit, et i
ſtinorum actionem excitat, ita vt vltimam quaſi m
tationem in chylum perficiat, quae ſucco pancre
co ſimul affluente valde iuuatur. Ipſe chylus, cu
p.456. lis inteſtinorum actione magis agitatus, promouet
et haud parum in ingreſſu in vaſa lactea facilita
quibus in vaſculis ad meſenterium ducitur, v
praeparatus et nouis particulis ex glandulis me
terii ſecretis commixtus ad ductum thoracicum
tandem ad ſubclauiam vehitur. Quae vero non
ſorbentur a vaſis lacteis partes craſſiores, per canal
inteſtinorum, et vt Auctor quidem exiſtimat, o
aeris inteſtina expandentis ad rectum delatae c
liguntur ibidem, quae tandem ſphincterе ea
pondere et preſſione ſuperato expelluntur. C
cta haec poſtea variis motis obiectionibus copio
harum rerum conſiderationi anſam praebent, it
reſpondendo ad obiectiones prolatas et probat
p.490. bus additis confirmentur. Quibus expoſitis artic
ſecundo de ſecretione agitur, vbi primo glandu
rum deſcriptione earumque diuerſitate exhib
ipſum ſecretionis opus variis a vaſorum orificiis d
pendere demonſtratur, quam ſententiam quid
variis obiectionibus euertere tentat, quae re
omnes remouentur, ſimulque integumentorum mi
tranſpirationis ſecretio, ſudoris differentia, lacti
minarum elaboratio, muci ex aſpera arteria excre
tus, lacrymarum prouentus, muci narium excreti
ceruminis aurium, ſynouiae, atque vrinae ſecreti
nes deſcribuntur, quibus adnectitur pilorum con
deratio.

Excipi

Excipit haec generationis hiſtoria, quae ita tradi- p. 572.
tur, vt primo partes genitales virorum, et ſeminis proponatur elaboratio, poſtea feminarum partibus genitalibus conſideratis, ipſius foetus inuolucra et placenta huiusque vtilitas deſcribantur, hinc actio coitus et quomodo conceptio et foecundatio perficiatur, delineatur. Foecundatur vero femina, quando ſemen maſculinum vel potius eius halituoſum in ouulum penetrat, et rudimenta foetus in eo contenti euoluit, prouti terrae ſuccus plantarum euolvit ſemina. Cui ſententiae plures opponuntur obiectiones, PLATONIS, HIPPOCRATIS, CARTESII, HARTSOECKERI, LEEUWENHOECKII, aliorumque, quae autem facile refutantur, et prae reliquis HARTSOEKERI et LEEUWENHOECKII ſententia admodum ſuſpecta redditur, cum de LEEUWENHOECKIO dicitur, habitu ipſum omnia videndi praeditum fuiſſe, et de obſeruationibus cum microſcopio factis, pronunciatur, microſcopia in manibus hominum praeconceptis opinionibus occupatorum gignere miracula. Porro variis motis obiectionibus variae ſententiae de organiſatione partium, p. 657.
de ſuperfoetatione, de imaginatione matris, de menſtruis, de foetus nutritione et infantum incremento referuntur, atque tandem ipſa partus cauſa et phaenomena demonſtrantur, vbi oſſa pubis diduci, variis probatur obſeruationibus.

Ab his ad ſenſuum tranſit hiſtoriam Auctor. Ita- p. 679.
que ſenſus tactus primum in cenſum venit. Tactus ſenſus haeret in totius corporis ſuperficie atque ope neruorum hic in papillas terminatorum perficitur, in apicibus vero digitorum prae reliquis corporis partibus hic ſenſus obſeruatur exquiſitior, ita vt quoque variis exemplis demonſtretur, fuiſſe caecos homines, qui colores diſtinguere, et ad ſolum attactum ſtatuam ſimilem effingere potuerint, et de iuuene

coeco nato dicitur, eum litterarum characteres a
figuras tabulae inciſas penna exprimere didiciſſe
Senſus guſtus pari fere ratione perficitur vt tactus
cum papillae adſint, quarum irritatione a corporibus
applicatis excitatur guſtus; in eo tamen differt, quod
papillae paulo aliter ſint effictae et corpora degu-
ſtanda prius ſolui debeant; guſtus vero gratus at-
que ingratus a ſpiculis diuerſis ſalinis neruoſis pa-
p.698. pillulas varie afficientibus dependet, atque in eo
cum odoratu conuenit, quod quoque partes in aere
haerentes ſalino volatiles papillis neruoſis applica-
ri debeant in tunica pituitaria, per omnem narium
cauitatem ſatis late expanſa. Indeque animalibus
quidem ſenſus hic adſcribitur fortior; attamen Au-
ctor demonſtrat, hoc non in genere eſſe aſſumen-
dum, quoniam in Antillis inſulis Aethiopes odoratu
Gallofrancos ab Aethiopibus perfecte diſtinguere
poſſent, et fuiſſe puerum, qui odoratu inimicum ap-
propinquantem cognoſcebat, et maritus factus uxo-
rem ſuam ab alia odore diſtinguebat. In auditus
deſcriptione Auctor organon ipſum et quomodo
radii ſonori tympanum ferientes tremorem indeque
perceptionem excitent ſoni, proponit; quibus ex-
plicationem perceptionis ſoni per dentes addit, et de
ſurditate, gangraena aliisque morbis inducta, in obſer-
uationibus in noſocomio Lugdunenſi factis ſe alio loco
p.723. acturum eſſe, promittit. Viſus ſenſus, poſt deſcriptio-
nem partium oculum componentium, poſt lumi-
naturam eiuſque radiorum varie fractorum rationem
explicatam, et poſt ipſum variorum colorum ex radiis
lucis fractis exortum demonſtratum, retinae tunicae
ex neruo optico productae et omnem oculi fundum
inveſtienti adſcribitur. Cui ſententiae variae aliae, vt:
retinam a radiis lucis deſtrui; retinam transmittere
radios, ergo in ea non repraeſentari poſſe imaginem
indeque tunicam choroideam praecipuum eſſe viſus
organon

rganon motis obiectionibus opponuntur. Pari odo cur obiecta in retina inuersa ratione depicta enti secundum naturam obueniant, cur duplici culo non nisi vnicum obiectum videatur, cur ab biectorum imagine exigua in retina picta ad natuilem magnitudinem concludatur, explicatur. Quius binae adnectuntur obseruationes ad visum perentes, et a Domino COLLOMB Regis chirurgi rimarii vicario Auctori communicatae, quarum alera de infante monstroso agit, qui tantum vnicum medio et inferiore ossis frontis parte gerebat ocum, praeterea neque nasum, neque os, aures vero in loco, vbi larynx positus est, monstrabat, qui ero tres horas post partum moriebatur. Altera tem caecitatis historiam refert, vbi femina ab exthemate retropresso oculis ita afficiebatur, vt ea nis oculis apertis nihil, altero vero clauso omnia distinguere posset, quae vero breui restituebatur. Tandem temperamentorum ratio et diuersitas exponitur, et coronidis loco dissertatio de noua mercurium in malis venereis exhibendi methodo appotur, cuius auctor est Dom. DAUMOND, Doctor medicinae et Professor Regius. Methodi huius nouae cardo in eo versatur, vt animali e. g. caprae, vaccae vel asino mercurius inungatur vel alia ratione ingeratur, atque talis animalis lac aegroto exhibeatur.

Ex ampliori hac recensione facile intelligi poterit, quo ordine quaue ratione res physiologicas, omnibus satis notas, Auctor tradidit.

V.

IOSEPHI BAADER, Phil. et Medic. Doctoris Materiae Medicae, Botaniae, et Chemiae in Vniuersitate Friburgensi Brisgoica Professoris Ordinarii ac Publici, Obseruationes medicae inciſionibus cadauerum anatomicis illustratae. Typis Ioan. Andr. Satron 1762. 8. pl. 15½

Quum arctiores in recensendis libellis limites nobis praescripti impediunt, quo minus omnes, quas opusculum hoc continet obseruationes, a Cl. Auctore et IOANNE MELCHIORE STOERR, Illustris Archiatri ANTONII STOERR fratre quondam amantissimo, anno 1756 defuncto, in magna domo pauperum, quae Viennae est, ab anno 1746 vsque ad annum 1750 collectas lectoribus tradamus, praemonendum esse putauimus, nos vel eo modo, quae inter reliquas notatu digniores nobis visae sunt, iam esse enumeraturos.

p. 1. Femina, temperamenti ad atrabilarium accedentis, ab ineunte aetate variis calamitatibus pressa, anno aetatis suae sexagesimo quarto, postquam ob lapsum diu male se habuerat, de cordis palpitatione continua per paroxysmos increscente, aluo adstricta, respiratione difficili, pulsu intermittente inaequali, caloribusque vagis conqueritur, quibus tandem apoplexia intra biduum aegram iugulans superuenit. In corde huiusque vasis duodecim polypi inueniebantur.

p. 9. Signifer, triginta et sex annorum, qui in praelio ipso cum equo praeceps actus erat, in itinere paulo post in Italiam suscepto, sibi incuruationem spinae dorsi contraxit, quae sensim in tumorem sat magnum gibbosum, cum emaciatione artuum inferiorum summe dolentium, vrinae difficultate molesta,

ſta, puris tandemque ſanguinis ex vrethra profluuio, tuſſi purulenta ſemper increuit, vſque dum, cruris retentis, diarrhoea accedens aegrum interfecit. In vtroque thoracis cauo inprimis dextro ſeri lymphatici, ſpiſſi, gelatinoſi magna copia, pulmones pleurae accreti et vlceribus tuberculisque ſcirrhoſis contaminati, nulla vero venereae luis indicia in toto corpore reperiebantur.

Cubicularius vegetus, robuſtus, qui praeceps cum equo actus aneuriſma arteriae axillaris contraxerat, poſt annum peractum apoplexia extinguitur. Saccus aneuriſmaticus in duas quaſi partes diuiſus apparebat, quarum ea, quae extra coſtas prominebat, quatuor ſanguinis congrumati libras continebat, interior vero ſtratis carnoſis fere repletus inueniebatur. Tunica externa duas lineas craſſitie ſuperabat, coſtae autem a continuo attritu adeo conſumtae deprehendebantur, vt vel a leuiori modo attactu in minutiſſima fruſta dehiſcerent. p. 15.

Vir, quadraginta annorum, ſiniſtri renis abſceſſu, ab inflammatione praegreſſa orto, moritur. Bilis tanta erat tenacitas, vt aegre cultello diſcinderetur. Renis ſubſtantia fere conſumta, ex eiusdemque ſuperficie diſrupta quatuor librae materiae foetidae atris inter peritonaeum et muſculos lumbales effuſae deprehendebantur. p. 28.

In ſubſtantia lienis hominis, hydrope demortui, lamella oſſea duos pollices longa, vnum lata et lineam craſſa, detegebatur. p. 30.

Vir, conſiſtentis aetatis, melancholicus, poſt vini antimoniati aſſumptionem, inſultum epilepticum, et hoc peracto tantam illico in brachio ſiniſtro irritabilitatem et ſenſibilitatem patiebatur, vt non modo in hoc, ſed et in oris, genarum et aliquando totius capitis muſculis, vel a leuiori modo frigidae aurae p. 107.

afflatu ſpaſtici et conuulſiui motus orirentur. Praeter ea etiam a quauis aeris mutatione, et animi commotione vehementiori inſultus epilepticos per integrum quadriennium experiebatur, intra quod temporis interuallum de obtuſo quodam dolore in dextro capitis latere ſub bregmatis oſſe molesto saepius aeger conquerebatur. Apertum cadauer hepar mole auctum ſanguine refertum; corticalem cerebri ſubſtantiam eo in loco, in quo dolorem olim defunctus accuſauerat, duriorem et fere ſcirrhoſam, et infra hanc, abſceſſum oui gallinacei magnitudine, materia flaua, granuloſa, molli mucoſa plenum, in fundo autem ſubſtantia ex rubro liuida inueſtitum exhibuit.

p. 121. Feminae, quadraginta et quinque annorum, quae poſt partum laborioſum, ſecundinas retentas lochiaque minori copia profluentia, dolorem in dextro inguine ad lumbos vſque ſe extendentem ſenſerat, caeteroquin autem per decem ab hoc tempore annos omnis menſtruae euacuationis expers, ſatis vegeta vixerat, ſubito inſignis vteri haemorrhagia ſuperuenit, quae per ſex annos cum fluxu albo ſic alternauit, vt mox hic mox illa miſerrime aegram excruciaret, vſque accedente demum hydrope extingueretur. Cadauere aperto, nouem in veſicula fellea calculi, nuce auellana maiores; renes extredecim ſacculis maiorem digitum admittentibus conflati; vreteres praeter modum dilatati; veſica vrinaria craſſior; vterus maior, durus et inteſtino recto et veſicae vrinariae mediante ſubſtantia glanduloſa ſcirrhoſa accretus; vagina craſſa, vaſis ſanguiferis, liuidis, turgidis diſtincta eroſa et aperti cancri notis contaminata; in vteri ſuperficie interna eroſa asperaque glandula dura, nigra, nucis magnitudine, tenuem nigrum, acrioremque ichorem plorans; et cor ſiniſtrum polypo, tres palmas in arterias carotides

et

axillares se extendente, totum fere repletum, deprehendebantur.

Cataphractarius, quadraginta annorum, a multis retro annis haemorrhoides fluentes passus, a casu in equo asthmate corripitur, adeo per aliquot annorum cursum increscente, vt ipsi tandem moriendi necessitatem inferret. Omentum fuit macilentum, in peritonaei processum cum vasis spermaticis ita intrusum, vt epiplocelen formaret; ventriculus laxus, maior; hepar, lien, renes sanguine turgidi; pulmones vndique accreti; cor maius et amplioribus vasis conspicuum; in angulo bifurcationis asperae arteriae calculus, pollicem magnus, oblongus, asper vtrinque acuminatus, et plerique ramorum bronchialium ossei. p. 154.

In cadauere feminae, sexaginta duos annos natae, leucophlegmatia demortuae, omentum liuidum fere gangraenosum; lien in quinque lobos dispartitus; vesicula fellea bile tenaci, nigra et quinque calculis referta; renes pustulis materiam purulentam fundentibus obsiti; cor distentum; thoracis, abdominis, ipsiusque pericardii cauitas multo sero repleta apparuerunt. p. 184.

Femina, quinquaginta annorum, postquam per duas, pluresue a prandio horas, vomitus, nullis omnino remediis cedentes, tolerauerat, superueniente tandem hydrope mortua est. In cadauere, praeter notabilem extrauasatae aquae flauescentis, in abdominis, thoracis et pericardii cauitatibus copiam, pylorus steatomate, ipsius circuitum ita arcte ambiente, vt vel minima saltem rima cibis e ventriculo in duodenum progredientibus relinqueretur, obsitus, pulmones flaccidi, duoque maiores in vtroque cordis ventriculo polypi detegebantur. p. 196.

p. 202. Femina tumorem, ex febre tertiana intempestiue ſuppreſſa, in hypochondrio dextro ortum, inſignem et per multos annos moleſtum paſſa, hydropica demum atque icterica moriebatur. Hepar multis ſteatomatibus conſpurcatum vltrà decem libras ponderabat, in eiuſque parte conuexa tumor ſaccatus, ſex menſuras capiens, ad duas ſuperiores coſtas veras vſque adſcendebat, materia plenus flaua, opaca, purulenta, foetidiſſima adeoque acri, vt manus excoriaret, puſtulasque in his multas, variolis ſimiles, vix infra ſex ſeptimanas arte tollendas excitaret. Natarunt in ſpurca hac materia quatuor ampullae rotundae infantis recens nati capite maiores, diaphanae, quatuor millia hydatidum continentes.

p. 229. Miles aſthmate vexatus vomitu demum ſuperueniente extinguitur. Hepar paruum, contractum, durum, in eiusdemque parte concaua a latere dextro veſiculae felleae verum atheroma; ventriculus contractus; tumor in pyloro ſcirrhoſus, ciborum in duodenum deſcenſum impediens; thoracis et pericardii caua ſero multo plena; in dextro cordis ventriculo polypus; pulmones flaccidi, et hinc inde diſciſſi, materiam purulentam fundentes reperiebantur.

VI.

CAROLI GUILIELMI POERNER, Medicinae Doctoris, Delineatio pharmaciae chemico-therapeuticae. Lipſiae apud Chriſtianum Gottlob Hilſcher 1764. 8. pl. 14 ½.

Opuſculum hoc ex tribus partibus conſtat; prima pharmaciae ſtatum, ſecunda producta pharmaceutica in genere, tertia praeparationem et vires conſiderat. Pharmaciae ſtatum exponens Cl. Auctor

ctor primo ad neceſſitatem et vtilitatem eiuſdem reſpicit, hancque pariter ac illam facile declarari putat, ſi ad ſeparationem particularum actiuarum ab inertibus, dein ad ipſas particulas actiuas generis diuerſi, tum ad concentrationem particularum actiuarum ſeparatarum et faciliorem hinc earundem ingeſtionem, tandem ad coniunctionem particularum actiuarum diuerſae naturae attendatur. Officinae pharmaceuticae qualitates dum recenſet Noſter, innuit, primam ſtatim curam eam eſſe debere, vt corpora naturalia, vi ſalutari donata, optimae indolis in officinas deferantur, nec reſpectu bonitatis diuerſae eorundem vendantur ſpecies, inſimulque optime praeparata vnius eiuſdemque generis remedia aſſeruentur, et vnus idemque in omnibus officinis praeparandi modus obſeruetur. Inſtrumenta paſſiua, furnos nimirum et vaſa dum enumerat Noſter, vaſa, in quibus corporum mutationes ſuſcipiuntur, vel mutata corpora aſſeruantur, ſi ex vitro conficiantur, optima eſſe, et ſi ignis violentia obſtet, figulina demum eligenda, lignea vero et metallica prorſus reiecta eſſe, notat. Inter furnos, qui ad facilitandos labores pharmaceuticos non parum conferunt, magnam varietatem non requiri, ſed vnam tantum et alteram, quae chemiae inſeruiunt, furnorum ſpeciem ſufficere, et deſtillatorium inprimis neceſſarium eſſe, huncque ſi peculiari modo conſtruatur, aliis etiam operationibus, tempore tamen diuerſo, inſeruire poſſe, putat. Furnum, Pigrum Henricum dictum, aeque ac furnum cum veſica ex officinis proſcribit Noſter, illumque plus damni quam vtilitatis ſecum ferre, huncque ignauiae et feſtinationi occaſionem praebere et producta nihili perſaepe aeſtimanda largiri, autumat. Inter ea, quae chemia requirit balnea, arenae, maris et vaporis balneum in pharmacia inprimis neceſſarium eſſe, notat

notat et maris inprimis et vaporis balneum commendat. Licet enim in his ad inſtituendas operationes plus temporis impendendum ſit, id tamen egregio horum balneorum vſu neminem arcere debere monet, ſiquidem accuratam remediorum praeparationem et genuinam virium conſeruationem magis, quam omnem laborum moleſtiam attendendam eſſe autumat.

p. 24. Dotes pharmacopoei perpendens Noſter, optat, vt ii, quibus ars pharmaceutica hodie demandatur, eodem modo, vt aliarum ſcientiarum cultores, neque vero opificum more, ad addiſcendam pharmaciam ſe applicarent, et logices inprimis, phyſices et chemiae doctrinas addiſcerent, ſibique corporum ſimplicium cognitionem hiſtoricam eorundemque varias, quas patiuntur, mutationes cognitas redderent. Diſciplinis his inſtructum et ad artem exercendam ſe accingentem pharmacopoeum operationes attentè et circumſpectè inſtituere et producta rite examinare, negligentiam autem et feſtinationem fugere debere, innuit. De corrigendis etiam remediis nouisque adeo inueniendis meditari debere pharmacopoeum, monet. Cum enim talis vir a facienda medicina remotus prorſus eſſe, omnemque vitam in praeparandis remediis conſumere debeat, illum optimam ideo corporum naturalium indolem diſquirendi eaque mutandi occaſionem nanciſci, notat, cum medico tamen, artem exercente et corporum ſimplicium aeque ac arte productorum efficaciam in corpus humanum inque materias morbificas experiente, inuentum communicandum eſſe, ſuadet.

p. 29. Praeter conſuetos pharmacopoei labores, qui in colligendis, ſeligendis, depurandis et aſſeruandis remediis ſimplicibus, deinde in inſtituendis remediorum pharmaceuticorum praeparationibus, tandem in remediis ſimplicibus aeque ac pharmaceuticis,

ticis, ſecundum medicorum praeſcriptiones ſtatim componendis conſiſtunt, experimenta quoque a pharmacopoeo inſtituenda eſſe, Cl. Auctor monet, ſique experimenta inſtituat, productorum naturam, vim atque actionem in corpora, quae cum fluidis et ſolidis corporis humani partibus, in naturali ſtatu conſtitutis aeque ac morboſis analogiam aliquam habeant, experiri et producta, nouiter inuenta, cum eorum albumine, ſanguine, bile etc. vel ſanis vel morboſis commiſcere tuncque ad mutationes ſollicite attendere et effectus accurate notare debere, autumat. Hac occaſione Noſter digreſſionem quandam facit et notionem nimiae tenuitatis nimiaeque ſpiſſitudinis humorum explicat, idque eum in finem, vt in experimentis, quae reſpectu diſſolutionis aut coagulationis corporum inſtituuntur, accurate attendat pharmacopoeus.

In ſecunda parte, quae de productis pharma- p. 40.
ceuticis agit, primo Noſter qualitates remediorum inſitas et, cum effectus a reciproca remediorum corporisque humani partium actione dependeat, fluidarum quoque ſolidarumque partium C. H. apte iſis reſpondentium conſtitutionem conſiderat. Ob id itaque ad irritabilitatem, rigiditatem et laxitatem fibrae tum quoque ad denſitatem et rarefactionem, ſpiſſitudinem et tenuitatem, nec non acrimoniam humorum reſpicit, et irritabilitatem cum Ill. HALLERO in glutine quidem quaerit, id vero ſe ipſum non mouere, ſed motuum tantum capax in corpore animali ab alia ſumme mobili ſubſtantia, neruis inhaerente, in motum duci, ſtatuit. Irritabilitatem hanc a remediis quoque excitari vimque eorum irritantem per ſtimulum aut ſaporem, linguae impreſſum, manifeſtari, docet. Roborantem vim per conſtrictionem linguae, emollientem vero per dilatationem et imminutam ſenſationem linguae detegi, oſten-

oſtendit. Quod ad actionem in fluida attinet, co
denſantia remedia per ſenſum adſtrictorium, vel a
dum adſtringentem, vel amarum adſtringentem,
lingua excitatum, cognoſci, reſoluentia autem ſa
rem vel dulcem, vel acidum lenem, vel ſalſum,
amarum, vel vrentem, vel ex his mixtum in lin
excitare, notat. Inſpiſſantia per ſaporem vel v
dum, vel vrentem exſiccantem, vel acidum auſter
adſtringentem manifeſtari, diluentia vero blan
refrigerantem quaſi ſenſationem producere, aſſ
Inuoluentia demum ſaporem viſcidum blandum
dulcem excitare, corrigentia vero ſapore ac
amaro, dulci, ſalſo et mixto ſe manifeſtare, o
dit. Cum autem iſtae remediorum qualitates, i
in lingua excitato percipiendae, vim ſuam a
efficaciam in fibram tantum muſcularem et hu
res, ſenſu percipiendos, exerceant, et aliae,
niſi odore dignoſcendae, qualitates dentur,
praeter vim, in fibra muſculari et humoribus n
feſtandam, aliam inſuper in neruos inprimis
cent, ad varias odoris ſpecies ſimul attende
eſſe, Noſter innuit, ideoque ad grata reficie
foetentia, caput grauantia, nauſeoſa, balſamic
rituoſa et, quae cum his aliquantum conue
maxime volatilia illa, nares fortiter vellicantia
cit. Omnes tamen recenſitas qualitates
minuique poſſe, prout plures paucioresue part
peregrinae cum mobili illa, per guſtum et olf
detegenda, ſubſtantia coniunctae ſint, notat,
que, vt ad odorem et ſaporem in diſquirendi
poribus naturalibus magis attendatur, optat.

p. 54. Qualitates remediorum pharmaceuticas
bitum externum pertinere, et hunc eundem,
in ſimplicibus, eſſe, notat. Cum vero
cium partes, arte nunc mutatae et ex priſtinc
diductae, aliam faciem induant, et ſimul

actionis modum inde acquirant, ad generales eorum qualitates, ad fluiditatem, soliditatem et statum inter hanc illamue medium attendendum esse, monet. Fluida remedia particulas fouere in motu iam constitutas, hinc, si fluida remedia praeparanda sint, motum particularum constituentium attendendum esse, Noster cupit. Cum autem fluida ad soluenda corpora adhibeantur, atque haec pariter ac illa insignem saepe, ratione motus adeoque actionis quoque, patiantur mutationem: requirit Noster, vt particulae corporis soluendi ad suscipiendum propagandumque motum aptae, a menstrui seu fluidi soluentis particulis neque cohibeantur, neque motus earundem auferatur. Hinc menstrua aptissima eligenda atque, vt remedia pharmaceutica accurate praeparentur, doctrinam de menstruis, inferius considerandis, necessariam esse, censet. Solida remedia vel ex meris particulis inertibus vel ex actiuis cum inertibus coniunctis constare, et cuncta fere, in officinis deprehendenda, menstruorum ope praeparari, et horum particulas in motu antea constitutas, nunc cum solidioribus coniunctas ad tempus quiescere, et data occasione in motus cito rapi, neque velocissimos quidem, vehementiores tamen magisque constantes quam a meris fluidis produci, autumat. Quod tandem ad remedia consistentiae mediae attinet, eiusmodi statum particulas in motu iam constitutas iamque euolutas cum minus euolutis minusque mobilibus coniunctas denotare, atque, ne ex confusa compositione remedia minus apta et actiones inde minus regulares producantur, conuenientia cum solidis coniungenda fluida esse, arbitratur.

Praeparationem et vires remediorum exponens p. 69.
Noster, primo de menstruis pharmaceuticis agit, quorum numerum augendum, neque vnum, vt cum spiritu

ſpiritu vini fieri ſolet, ad quorumcunque fere remediorum fluidorum praeparationem adhibendum eſſe cenſet. Diuidit autem menſtrua in aquea, ſalina, inflammabilia et compoſita, et haec quidem in chemia vſurpari, omnia tamen, quae chemiae inſeruiunt, in pharmacia vſurpari non poſſe, ſed ea tantum, quae per ſe in corpus humanum ingeſta ſalutares effectus producunt, vel peculiari ratione praeparata tunc demum ſoli pharmaciae inſeruiunt, vtilia cenſenda eſſe, oſtendit. Ita autem hanc de menſtruis doctrinam exponit, vt non ſolum declaret, quomodo in corpora naturalia agant, ſed etiam, qua ratione in ſolidas fluidasue corporis humani partes vel naturales vel etiam morboſas actionem ſuam exerceant. De aquis notat, aquam fontanam, pluuialem etc. deſtillatam, non deſtillata puriorem, natura tamen calidiorem, et in officinis neceſſariam eſſe. Licet enim ad potiones compoſitas a medicis plerumque aquae deſtillatae odoratae praeſcribantur, tamen, ſi vires ſimplicium accuratius explorandae ſint, fluidum quoddam, quod nullam mutationem ſimplicibus inducat, requiri, autumat. Menſtrua ſalina, vt ſolent, in acida, alcalina et menſtrua ſalina mediae indolis diuiduntur, iiſque, cum ſalinis quibuscunque particulis in fluiditate conſtitutis maior mobilitas et efficacitas a natura inſit, maior quoque efficacia in corpus humanum aeque ac in remedia ſimplicia adſcribitur, horumque efficaciam augeri, oſtenditur. Inter acida menſtrua vitrioli et nitri acidum, aqua dilutum, ad praeparanda nonnulla remedia, putredini aduerſaria, cum fructu ſaepe adhiberi; acidum vero ſalis cum ſingulari modo in terram animalem agat, minus tuto interne vſurpandum eſſe, Auctor monet. Succini ſal ſolutum, cum per ſe exhibitum fibram muſcularem leuiter ſtimulet, oleoſam humorum partem

moueat,

moueat et attenuet, neque tamen a aquoſa ſeparet motusque fluidi neruei nimios componat, et irregulares corrigat, cum ſubſtantiis balſamicis, graueolentibus vel foetidis, vt menſtruum mixtum egregia remedia antiputrida et antiſpaſmodica, ſi cauſſa in viſcido pituitoſo vnguinoſo lateat, largiri, Noſter oſtendit. Acetum vini non deſtillatum gluten cohaeſionis nimis laxum pituitoſum aquoſum leniter coarctare, idem ſiccum magis, tenax, aqueis particulis fere orbatum emollire, humorum fluiditatem aliquantiſper augere, irritabilitatem reſtituere vel conſeruare, oleoſam ſanguinis humorumue partem cum aquea coniunctam ſeruare, vel ſeparatas rurſus mire et irregulares, ab acri principio non acido productos, motus fluidi neruei regulares reddere, ideoque cum volatilibus et ſpirituoſis particulis itidemque oleoſo-reſinoſis vel gummeo-reſinoſis partibus corporum odoratorum mixtum optima remedia diaphoretica, omni exaeſtuante vi deſtituta et vera quoque antiputredinoſa, nec non egregia neruina et roborantia praebere, autumat, et dicto aceto aceſum vini deſtillatum longe poſtponendum eſſe, aſſerit. Citri demum ſuccum raro vt menſtruum vſurpari, cum corporibus dulcibus tamen mixtum remedia, viſcidum atrabilarium ſoluentia, et putredinem, nondum euolutam impedientia, largiri, docet. Simili ratione reliqua menſtrua, eorum vim atque efficaciam, tum in corpus humanum, tum in remedia ſimplicia, exponit.

Ad ordines remediorum poſthac progreditur p. 117.
Cl. Auctor, in quorum generibus coordinandis ad habitum eorum externum reſpicit, ideoque primo de remediis fluidis, dein de ſolidis, tandem de remediis conſiſtentiae mediae agit. In pertractandis hiſce rebus ad modum praeparandi attendit et primo remedia per deſtillationem paranda conſiderat.

ſiderat. De aquis odoratis notat, eas fluida ſiſtere aquoſa, particulis tantum volatilibus, iam euolutis inque motu conſtitutis, nares ferientibus et ſaporem in lingua excitantibus inſtructa. Diſtinctionem aquarum deſtillatarum in ſimplices ſeu ſemel deſtillatas et cohobatas non admittit, ſed vnam tantum ſpeciem concedit. Si enim debilior aqua poſtulatur aquam cohobatam additione aquae fontanae deſtillatae pro cuiuslibet medici intentione debilitari poſſe, autumat. Spiritibus particulas maxime euolutas et attenuatas volatiles et in motu velociſſimo conſtitutas ineſſe, monet. Ex his ſpiritus vitrioli dulcis praeparationem notamus: infunduntur in retortam vitream ſpiritus vini rectificatiſſimi partes quatuor, olei vitrioli concentrati pars vna; retorta balneo vaporoſo impoſita, deſtillatio inſtituitur, donec nihil amplius in vas recipiens exſtillet. Fluidi, odore et ſapore leniori ſuauiſſimo inſtructi et in recipiente collecti, partibus viginti vel triginta admiſcetur naphthae vitrioli pars vna, et tunc ex balneo vaporis rurſus deſtillatur. Sic autem ſpiritum odoris ſaporisque gratiſſimi, neutiquam ſulphurei, obtineri, notat.

p. 136. Ad remedia, quae per infuſionem parari debent, nonnulla, vt Noſter docet, remedia pertinent, quae ſub eſſentiarum, tincturarum, elixiriorum, balſamorum, acetorum et oleorum compoſitorum nomine in officinis nota ſunt. Notat autem, infuſa in genere conſiderata, non ſolum partes volatiles, ſed et fixas continere debere, ita comparatas, vt vtraeque tum hae tum illae, iam euolutae atque in motum ductae inhaereant. Infuſa aquoſa, quae infuſa ſtricte ſic dicta alias vocantur, partes remediorum ſimplicium actiuas ope aquae vel euoluendas vel euolutas eodem hocce menſtruo eductas continere, ſalina autem, cum menſtrua ſalina particulas

ulas multo magis actiuas quam aqua contineant, ademque insuper ob diuersam particularum indo- em diuersimode agant, magis actiua quam aquosa censet, atque pro diuersis morborum caussis et vari- ate simplicium remediorum indole diuersa etiam menstrua eligenda esse, ostendit. Ex his vnum lterumue exemplum adduxisse, sufficiat: sic ra- one praeparationis ad infusum a Nostro refertur ssentia gummi ammoniaci cum liquore nitri rege- erati, quae secundum Eius praescriptionem ita aratur: sumitur gummi ammoniaci pars vna, ad- nduntur liquoris nitri regenerati partes duodecim; irta digeruntur per horae quadrantem; liquori ecantato adduntur extracti gummi ammoniaci quosi, cum liquore nitri regenerati parati partes uatuor; mixta iterum in balneo vaporis per ho- am digeruntur, tandem ad vsum seruantur. Ori- r inde remedium quod, egregia vi resoluente onatum, viscidum inflammatorium aeque ac atra- ilarium attenuat et oleosam sanguinis partem, ab quea secedentem, huic rursus se vnit et tunc atte- uat et per diuresin ex parte euacuat. Aliud in- usum habetur essentia asae foetidae cum liquore rnu cerui succinato: Recipiuntur nimirum asae oetidae pars vna, liquoris cornu cerui succinati par- es ser. Mixta, primo absque igne duorum dierum patio in loco temperato posthac in balneo vaporis er duas horas digeruntur, et liquor percolatus ad sum reponitur. Essentiam hanc antispasmodicam iscidum vnguinoso acidum resoluere et subtilissima asa ab eo liberare; sanguinem leniter commouere eque tamen aestum inducere; motum fluidi neruei regularem, a memorato viscido obortum, corri- gere; tunc vim anodynam exercere et spasmis quoque primarum viarum, a viscido acido proueni- entibus, mederi, Noster arbitratur.

p. 163. In tertia huius ordinis classe remediorum pe coctionem praeparatio communicatur. Intelligi autem Noster sub decocti nomine remedium, quo ex fluido minus volatili et substantia solida, fixis pe ticulis donata, sola decoctione, ad ebullitione vsque euecta, producitur. Inter fluida, labo huic apta, non solum meram aquam et cereuisiam sed omnia fluida, quorum partes constitutiua coctione non tam cito disiunguntur et dissipantur et quae fixiores partes cum multa aqua firmi connexas fouent, admittenda esse et lac, serum la ctis et aquam, cum salibus mediis fixioribus co iunctam, multum hic valere et in recludendis cor poribus fixis, arcte inter se connexis, plura prae stare, Noster asserit. Exemplum esto decocti radicis gentianae rubrae cum liquore tartari vitrio lati. Immittitur nimirum radicis gentianae rubrae concisae pars vna in vas terreum non vitreatum; adfunduntur aquae purae simplicis ebullientis partes duodecim, et adduntur liquoris tartari vitriolati par tes decem. Coquuntur omnia per horae spatium, et liquor per linteum colatus et frigefactus statim in vsum ducitur. Decoctum hoc in morbis, vbi viscidum pituitosum, vel iners vel cum acida acri monia coniunctum, resoluendum sit, vsum habere et egregie attenuare, solidas tamen partes robora et laxis, pituitosis laudabilem medicinam praebea et ciborum coctionem iuuando a viscido praeseruare, Noster censet.

p. 166. In quarta classe remedia emulsa parare do cet, in quorum praeparatione ad corpora, quae partes oleosas cum mucilaginosis coniunctas fo ueant, respiciendum est. Ita emulsionem ex gummi ammoniaco, et oleo amygdalarum dul cium ope tincturae antimonii tartarisatae, et aliam ut

ex terebinthina, et oleo amygdalarum ſaponis ve-
neti ope parandam tradit. -

Ordo ſecundus remedia ſolida continet, quae p. 169.
ſubſtantiae naturales dicuntur, quarum particulae,
oculis percipiendae, ſiue inertes ſint ſiue actiuae,
moueſcunt et motore opus habent, quo in motum
ducti et actiuae inprimis, in motum ductae, actio-
nem ſuam exercere queant. Cum autem ſolida plu-
rima ex inertibus et actiuis particulis ſimul compo-
nantur, ex his plurima Noſter ſperat. Sic ſolida
corpora, ex inertibus et actiuis compoſita, ſi in cor-
pus humanum introducantur et in motum rapian-
tur, actionem magis conſtantem et diutius duran-
tem exercere, quam fluida, et inertium particularum
ope actiuas ſaepe ita figi autumat, vt extra corpus
humanum in vaſis idoneis adſeruata remedia diutius
perdurent, nec corrumpantur. Cum vero in
recta eorundem praeparatione multum poſitum ſit,
et haec pro diuerſa mixtionis et habitus indole va-
riet, in varias claſſes hanc ipſam Noſter diuidit.
Primo itaque remedia per coagulationem paranda
docet, quae, licet ſolida appareant, ex ſolidis
tamen et fluidis partibus conſtare debere, notat.
Hinc de ſaponibus, balſamis ſolidis et emplaſtris
agit. In ſecunda claſſe remedia per praecipitatio-
nem paranda conſiderantur, quorum praeparatio
requirit, vt ſubſtantiae ſolidae menſtruo antea bene
ſoluantur, ſolutio rite percoletur et mutationes ſo-
lutioni ſenſim paulatimque inducantur. Exempli
loco cremorem tartari, reſinam ialappae, corallia
rubra et ſulphur antimonii mercuriale per praecipi-
tationem parare Noſter docet. De vltimo nota-
mus, id eadem ratione, vt ſulphur antimonii aura-
tum praecipitari, praeter id, quod loco acidi puri
ſolutio mercurii per aquam fortem facta, a Noſtro
adhibeatur, et praecipitata varii coloris obtineantur.

Sulphur hoc antimonii mercuriale insignem vim attenuantem obtinere, viscidum pituitosum resoluere vasa subtilissima, viscido hoc referta, aperire et per colatorium cutaneum inprimis euacuare, autumat. In tertia classe remediorum per crystallisationem praeparatio traditur, quam plerumque acida cum substantiis alcalinis vel terreis vel metallicis coniuncta inire solent. Cum vero nonnullae substantiae, crystallisationem per se respuentes, non raro arctum connubium cum terreis vel metallicis vel cum alcalinis ineant, easdem, addito acido, simul crystallisari, Noster ostendit, id quod exemplo tartari vitriolati sulphureo-regulini illustrat, quem ex liquore post praecipitationem sulphuris antimonii aurati, ope acidi vitriolici factam, residuo et accurate percolato per euaporationem et crystallisationem parari, iubet. Hunc autem tartarum vitriolatum ob contentas quasdam partes sulphureas et regulinas autumat, viscidum pituitosum acidum efficacius resoluere et spasmos inde excitatos tollere. In quarta classe remedia per sublimationem paranda Noster sistit, atque monet, cauendum esse, ne substantiae inter se inuicem coniungantur, quae vel indolem venenatam manifestant, vel eandem induunt aut ad minimum noxiae euadunt. In vltima classe remedia per calcinationem paranda considerantur.

p. 186. In tertio ordine de remediis consistentiae mediae agitur, et in prima eius classe remediorum per euaporationem et inspissationem praeparatio traditur. Hic primo de extractis docetur, ad extracta rite paranda requiri, vt substantiis solidis conuenientia menstrua adfundantur. Sic ex millefolio extractum aquosum et spirituosum, tandem aquoso spirituosum paranda sunt. Primum lenem vim resoluentem cum roborante coniunctam simul-

mulque abſtergentem, conſolidantem et conden-
antem; alterum roborantem et exſiccantem cum
alſamica, et tertium vim leniſſimam reſoluentem
um roborante et balſamica coniunctam habere,
uctor notat. Poſthac mella conſiderat, quae cum
idis, vel cum gummoſis vel gummoſo-reſino-
s corporibus et acido-dulcibus immo amarican-
ibus coniuncta, remedia non contemnenda, cum
alcalibus autem et ſaponibus alcaleſcentibus alii que
iusmodi ſubſtantiis compoſitum vix laudabile pro-
ducere, cenſet. Ita ex melle et ex aceto angelicae
oxymel angelicae, vim reſoluentem, emollientem,
diaphoreticam, diureticam et antiputridam habens,
et ex melle et myrrha aqua ſimplici ſoluta mel myr-
rhatum parari poſſe, oſtendit. In praeparatione
ſubſtantiae illius, Roob dictae, requirit, vt mem-
branaceae et terreſtres partes inertes ſeparentur;
ad praeparandos ſyrupos ſubſtantias, ſapore non
adeo ingrato donatas, et ſaccharum magis oleo-
ſum quam cryſtalliſatum adhibendum eſſe, putat.
Quod tandem ad remedia attinet, quae per lique-
factionem et coagulationem parantur, praeter vn-
guenta nullum aliud Noſter commemorat, quorum
numerum in officinis imminuendum, eaque ad
longum tempus adſeruanda non eſſe, recte aſſe-
rit. Confectiones demum, condita, conſeruas,
rotulas, morſulos, trochiſcos, taedas et alia eius-
modi plura ita Noſtro comparata eſſe videntur, vt
ficco pede ea tranſire conſultum duceret optans,
vt eiusmodi praeparata, remediorum nomine non
inſignienda eiciantur, quo pharmacopoei tempus
aliis vtilioribus eorundemque rectae praeparationi
impendere poſſint.

VII.

Mémoire pour ſervir a l'hiſtoire de l'uſage interne du mercure ſublimé corroſif; par M. LE BEGUE DE PRESLE, Docteur Régent de la Faculté de Médécine de Paris, Cenſeur Royal. On y a joint un Recueil d'Obſervations faites ſur l'uſage interne de ce Remède en Allemagne, en Angléterre, en Italie etc. A la Haye, et ſe trouve a Paris, chez P. Fr. Didot. 1763. 12. pl. 21.

h. e.

Commentarius hiſtoriae de vſu interno mercurii ſublimati corroſiui inſeruiens, Auctore Cl. LE BEGUE DE PRESLE; vna cum ſubnexa collectione obſeruationum de vſu interno huius remedii in Germania, Anglia, Italia etc. inſtitutarum etc.

Libellus hic ex duabus quaſi partibus componitur: p. 17. in prioris capite primo Auctor de origine mercurii ſublimati corroſiui agit, vbi notat, praeparationem hanc veteribus iam e. g. RHASI et AVI- p. 22. CENNAE iam notam fuiſſe. In ſecundo capite diuerſas mercurii ſublimati corroſiui praeparationes commemorat, inter quas eas optimas cenſet, quae Venetiis, Londini et Amſtelodami in magna quantitate inſtituuntur, atque a Viris Cll. MACQUER, ROULDOUC et CARTHEUSER indicantur. In p. 46. tertio capite delectus mercurii ſublimati corroſiui traditur, atque illud inprimis productum laudatur, quod ex mercurio et copioſo acido ſalis conſtat; abundantiam enim acidi ſalis maxime vtilem eſſe et mercurium in minimas particulas diuidere, ſicque efficaciam huius remedii augeri, Noſter autumat.

Cum

Cum autem mercurius ſublimatus corroſiuus ab impoſtoribus non raro cum arſenico adulteretur, fraudem hanc ope ſpiritus ſalis ammoniaci, ex ſale ammoniaco, ſale tartari et calce viua parati, detegi, ſique arſenicum admixtum fuerit, liquorem ex mercurio ſublimato corroſiuo adulterato conſtantem nigreſcere pulueremque nigrum fundum petere, notat, cum e contrario ex liquore, mercurium ſublimatum purum continente, albus puluis praecipitetur.

In quarto capite auctores nominantur, qui ante aliquot ſaecula iam mercurio ſublimato corroſiuo interne vſi ſunt. Primum eorum BASILIUM VALENTINUM fuiſſe, qui dictum mercurium ad morbos venereos, cancros et vlcera maligna interne vſurpauerit, notat, tuncque alios ſimul commemorat, qui poſt eum et ſuperiori inprimis ſaeculo vixerunt. p. 66.

In quinto capite Clariſſimi in arte Viri adducuntur, qui vſum dicti mercurii quaſi reſtituerunt, inter quos primum omnium Ill. VAN SWIETEN, immortalis BOERHAAVII, mercurii ſublimati corroſiui vſum internum iam commendantis, diſcipulum laudandum eſſe, cenſet. p. 108.

In vltimo capite obiectiones recenſentur, quas nonnulli contra vſum internum mercurii ſublimati corroſiui mouerunt, ex quibus inprimis Viri Cl. CARTHEUSER, BARON et ASTRUC nominantur. p. 116.

Tandem de methodo vſurpandi hocce remedium Noſter notat, eam ab Ill. VAN SWIETEN commendatam optimam eſſe, inprimis ſi ſecundum Cl. DE HAEN omni quadriduo purgans exhibeatur. An autem ſolutio mercurii in aqua ſolutioni in ſpiritu vini praeferenda ſit, Noſter definire non audet, idque tempore futuro demum patefieri, putat. p. 140.

In poſteriore parte Cl. Auctor collectionem obſeruationum de interno mercurii ſublimati corroſiui vſu communicat, quas tanquam apologiam com-

mentationis praecedentis conſiderat. Auctores harum obſeruationum ſunt Ill. VAN SWIETEN, DE HAEN, STOERCK, SANCHEZ, ALVAREZ, GUERING, OTTMANN, MOZEDER, ZIEGENHAGEN, EHRMANN, SPIELMANN, BONA, LEMORE, Societas Medicorum Londinenſium, BROMFIELD, DOSSIE, LOCHER et CREN. Cum vero plurium harum obſeruationum ſumma paſſim a nobis tradita iam ſit, et reliquarum epitome a Noſtro communicetur, nomina tantum Auctorum adduxiſſe, ſufficiat.

VIII.

Dictionnaire univerſel des foſſiles propres et des foſſiles accidentels, contenant une deſcription des terres, des ſables, des ſels, des ſoufres, des bitumes, des pierres ſimples et compoſées, communes et prétieuſes, tranſparentes et opaques, amorphes et figurées, des mineraux, des metaux, des petrifications du regne animal, et du regne végétal etc. avec des recherches ſur la formation de ces foſſiles, ſur leur origine, leurs uſages etc. par Mr. E. BERTRAND, Premier Paſteur de l'Egliſe Françoiſe de Berne, Membre des Acad. de Berlin, de Goettingue, de Stockholm, de Florence, de Leipſic, de Mayence, de Baviére, de Lyon, de Nanci, de Bâle, de la Societé Oeconomique de Berne etc. Tome Premier. A la Haye chez Pierre Goſſe, Iunior, et Daniel Pinet. 1763. 8. pl. 20. Tome ſecond. pl. 16 *).

h. e.

*) Alia editio prodiit Auenione; ſed inſcio Auctore, quare is nouam parat additamentis augendam.

h. e.

Lexicon vniuerſale foſſilium propriorum et foſſilium accidentalium, continens deſcriptionem terrarum, ſabulorum, ſalium, ſulphurum, bituminum, lapidum ſimplicium et compoſitorum, vulgarium et pretioſorum, tranſparentium et opacorum, amorphorum et figuratorum, mineralium, metallorum, petrificationum regni animalis et regni vegetabilis etc. vna cum diſquiſitionibus de formatione horum foſſilium, eorum origine, eorundem vſu etc. Auctore Cl. BERTRAND etc. Tomus I et II.

Ex perampla hac inſcriptione fere patet, quodnam ſit huius libri inſtitutum; hinc pauca tantum addimus, cum omnium, quae in hoc libro continentur, rerum ſummam cum Lectoribus noſtris communicare non licet. Foſſilium primo nomina gallica ordine alphabetico ſe inuicem excipiunt, quibus ſingulis nomina latina et germanica omniaque a diuerſis auctoribus vſurpata ſynonyma ſubnectuntur; hiſque ſaepe iunguntur anglica vel italica, ſi ſingulare quid denotent. Characteres dein cuiusuis foſſilis peculiares deſcribuntur, ſimulque, ſi neceſſarium viſum fuerit, claſſis, ordo, genus vel ſpecies definiuntur, aut genera ad minimum vel ſpecies praecipue diſtinguuntur. Interdum quoque origo horum corporum atque natura, formatio et vſus eorundem, quem in medicina aut arte quadam habent, indicantur, quae vero ignorantia aut ſuperſtitio introduxit, reiiciuntur. Ex his itaque patet, librum hunc, multo ſtudio conſcriptum, vtilitate ſua non deſtitui, iiſque inprimis, qui chemica pertractant et in rebus mineralogicis verſantur, inſeruire

ſeruire poſſe, cenſemus. Vt autem Lectores noſtri de hoc opere ipſi iudicent, exempli loco ea, quae de Platina Noſſer habet, communicemus.

Platina, inquit, eſt nomen Hiſpanicum et quidem diminutiuum a Platta, quod argentum ſignificat. Eſt itaque paruum argentum. Subſtantia eſt mineralis, ante aliquod tempus in America detecta, cui quoque nomen auri albi impoſitum eſt: nominatur etiam Platina di-pinto et Iuan-blanca. Cl. ANTONIUS DE VLLOA, Mathematicus Hiſpanicus, qui Viros Cl. GODIN BOUGUER et DE LA CONDAMINE in itinere Peruano comitatus eſt, primus habetur, qui ſingularis huius mineralis breuem mentionem fecit. Platina colorem argenti et pondus auri habet. Fulget ea et polituram admittit, neque in aere rubiginem contrahit, neque ſplendorem amittit; ſola non adeo ductilis, potius vt Tombac fragilis eſt; reperitur in venis minerarum forma vel granorum, vel pulueris; grana haec per ſe fortiſſimum ignem per duas horas requirunt, antequam funduntur; pauca vero quantitas arſenici, platinae admixta, liquationem eius adiuuat.

Vaſa metallica ex ea parantur. Pondus eius ad aquam eſt vt 17 ad 1. Si auro certa portione admiſcetur, illud neque de pondere neque de colore quidquam amittit, et haec coniunctio experimentis vulgaribus non detegitur. Ob id igitur Reges Hiſpaniae eam, quantum vſurpatur, colligi iuſſerunt. Aqua fortis eam non ſoluit, id vero praeſtat aqua regis; ſolutio vero neque oſſa, neque pennas tingit, vt a ſolutione auri fit. Si platina cum cupro miſcetur, hoc purius euadit, neque adeo rubiginis obnoxium, ductilitatem tamen ſuam non amittit, tuncque eſt cuprum multo perfectius.

Philoſophi quidam ſeptimum metallum hanc nominant, vt in articulo de metallis iam dictum fuit: dicunt,

dicunt, duritie ferri cusi, fixitate et pondere auri et colore argenti praeditum esse; differre vero ab auro tenacitate, colore, duritie et gradu ignis ad fusionem necessario.

Vid. opus a nobis iam citatum: La Platine l'or blanc, ou le 8e metal. Paris in 12mo 1758. Reperitur in eo collectio experimentorum, quae cum substantia hac metallica a Viris Cll. WATSON, WOOD et LEWIS in Anglia et a Cl. SCHEFFER in Suecia etc. instituta sunt. Conferatur etiam Ann. litterar. Cl. FRERON. Tom. II. Ann. 1758. p. 160. seq. Qui platinae nomen octaui metalli imponunt, mercurium ceu metallum considerant, pro quo tamen haberi nequit.

Alii chemici contendunt, platinam nouum metallum non esse, sed vnum hactenus notorum metallorum arsenico mineralisatum. Forsan plura, quam hactenus instituta sunt, experimenta ad decidendam hanc quaestionem necessaria sunt.

IX.

Fasciculus dissertationum anatomico-medicarum. Amstelaedami apud Ioannem Schreuder. 1764. 8uo; plag. 11 ½. tab. aen. 4.

Proprio consilio permotus Bibliopola, in gratiam eorum, qui dissertationes ad artem medicam spectantes aestimant, eas vero non semper acquirere possunt, omnes in Germania euulgatas, ipsi obuenientes, et sententiis eruditorum dignas visas, quarum memoria asseruetur, disputationes medicas, denuo typis mandare, et in fasciculos collectas, edere secum constituit. Primus hic, quem iam prostare curauit, fasciculus quatuor continet scripta, ex anatomiae et physiologiae doctrina petita, singuloque

guloque figura quadam illuſtrato. Nos, quid in vnoquoque praecipue notatu dignum inueniuus, breuiter indicabimus.

Primum ergo ſibi vindicat locum diſputatio: *oui humani foecundati ſed deformis, trimeſtri abortu eliſi, anatomen exponens*, Auctore CAROLO AUGUSTO MADAI Med. Doct. Ex ſatis vegeta atque robuſta, viginti quatuor annorum femina, quae aliquoties iamiam puerperii incommoda feliciter ſuperauit, praegreſſo violentiſſimo a regione lumborum vſque ad regionem pubis ſe extendente motu ſpaſmodico preſſorio, trimeſtri abortu in terram fuit proiectum ouulum hoc humanum, quod omni ſtudio et induſtria examinauit, examinatumque maxima cum attentione in aes incidi curauit Cl. diſſertationis huius Praeſes PHILIPPUS ADOLPHUS BOEHMER. Duce hoc et adiutore iamdum Noſter quoque in anatomen huius oui diligenter inquiſiuit, ſuaque placita de eo nunc exponere annititur. Ad fabricam ergo, ſtructuram et figuram iſtius oui quod attinet, ita Cl. Auctor illud deſcribit, quod fuerit ex multis fibris tum longitudinalibus, tum obliquis et tranſuerſalibus ſe inuicem decuſſantibus, et mirum in modum cum contextu celluloſo coadunatis, conſtructum; quoad magnitudinem et figuram ouo anſerino proxime accedens; in ſuperficie ob adhaerentes hinc inde flocculos membranaceos valde inaequale et nodis quaſi ſcirrhisque obſeſſum. Satis craſſa eius ſubſtantia carnea, poſtquam inciſione cruciformi fuerit diſſecta, in conſpectum prodiit veſica ouata, transparens, embryonem in humore pellucido natantem continens, cuius funiculus vmbilicalis circa abdomen arctius, paullo poſt vero laxius, et in tria vaſa ſatis conſpicua fuit reſolutus, quae ſupra aliam quandam veſiculam membranaceam, tenuiſſimam, guttulas aliquot ſeri cuiuſdam limpidi continentem,

poſte-

posterius in filamentum album desinentem, statuque immisso mox disruptam fuerunt extensa. Iam Noster descripta delineataque ouuli huius figura et substantia, disquirit, quomodo illud a reliquis partibus humanis naturalibus discrepat. Praecipue attentionem suam direxit in vesiculam illam oualem, circa funiculum vmbilicalem inuentam, eaque vtrum hydatis, an potius membrana alantoides fuerit, disquirit. Non hydatidis nomen huic vesicae competere putat, quoniam omnes proprietates, quae in ea inueniebantur nullo modo ad hydatidem possent applicari, et quamuis RUYSCHIUS nonnunquam tales circa funem vmbilicalem se reperisse docuerit, nimis tamen peculiarem et maxime discrepantem vesicae huius figuram, situm, nexum et magnitudinem, eam nullatenus hydatidem fuisse comprobare asserit. In inquirendo vero, an praesens vesicula membrana forsan fuerit alantoides, ita Cl. Auctor versatur, vt primo quid per alantoidem intelligi velit, definiat. Dici vero: alantoidem esse vrachi in nondum natis in folliculum tenuissimum membranaceum, pro recipienda vrinae portione expansionem. Perlustratis dein de praesentia membranae alantoides in vtramque partem disputatis sententiis, suam opinionem adducit, qua vesiculam istam in praesenti ouo detectam, et cum funiculo vmbilicali connexam vrachum esse in alantoidem continuatum, et peculiari ratione per funiculum cum vesica vrinaria consentientem, Noster contendit.

Adiecit huic dissertationi placita quaedam *de vracho humano* Cl. BOEHMERUS, quibus eundem peruium esse, et ad alantoidem vsque extendi posse, comprobare annisus fuit. Non solum Cel. ALBINI et NEUFVILLE de vracho peruio obseruationes adducit, sed prioris quoque iconem in academicis annotationibus exhibitam, adiecta tabula aenea illustrauit.

ſtrauit. Ad hanc rem perficiendam opportunitatem Noſtro praebuit exemplum hominis cuiuſdam quadragenarii, pectoris, viſcerum abdominalium, et ipſius veſicae vrinariae inflammatione extincti, cultroque anatomico ſubiecti. Cadaueris huius veſica, modica quantitate vrinae repleta, flatu immiſſo non ſolum in figuram fere ſphaericam eſt extenſa, ſed etiam portio vrachi adhuc praeſentis ſimul turgeſcere incepit, quo exemplo Cl. Auctor ſuam ſententiam de vracho peruio corroborare tentat, immo eundem ad alantoidem humanam, cuius praeſentiae veſtigia ſe, licet obſcure, in alio ſubiecto, deteriſſe tamen contendit, vſque extendi poſſe, nullus dubitat, quamuis adhuc nondum accurate ſatis via ad eandem ſit inuenta.

Tertia diſputatio, *de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio* exponit, habita in Academia Fridericiana, Auctore NICOLAO THEUNE, Leera Friſo-Orientali. Obſeruatio haec, quam Auctor de duplici vena caua ſuperiore, biniſque infimul renis azygis, in puero, ob infarctum hepatis glandularumque meſenterii tabe et febre lenta conſumato, detectis, adducit, in Cel. BOEHMERI obſeruationibus anatomicis iamiam quidem proſtat*); ob argumenti tamen dignitatem, et exemplorum pauctatem, hanc materiam ſpeciminis academici loco ſibi ſumere, mentemque ſuam de ea exponere, Noſter non dubitauit. In duplicem ergo ſectionem hanc tractationem diuiſit, in quarum prima venae cauae tum ſuperioris, tum inferioris ortum, progreſſum, coniunctionem tum inter ſe, tum cum auricula cordis, et phyſiologice, et anatomice recenſuit; in altera vero ipſam praeſentem obſeruationem ſtudioſius contemplatus eſt, et quomodo duplices hae venae

cauae

*) Conf. Commentar. noſtr. Vol. II. P. 2. p. 247.

cauae ſuperiores detectae omnes ſimul cum inferiore in ſinu Loweriano concurrerunt, et in propaginibus ſuis alias et a ſtatu naturali aberrantes venas conſtituerunt, indicauit, et adiecta figura illuſtrauit, venarum quoque azygarum, in cadauere dubiciorum, ortum ſitumque ita expoſuit, vt in vtroque latere vnam, dextram ſiniſtra paullulum altiorem, venasque trium coſtarum ſuperiorum in ramo quodam peculiari recipientem, ſiniſtram vero venas intercoſtales, exceptis ſuperioribus, quae ad ſubclauiam ſiniſtram excurrebant, excipientem, in ſiniſtro latere vertebrarum deſcendentem, et in abdomine cum lumbaribus coniunctam, ambas tandem in venam cauam ſuperiorem vtramque, dextram et ſiniſtram inſertam fuiſſe, docuerit.

His tandem adiecta eſt commentatio medica, qua *nutritionem foetus in vtero per vaſa vmbilicalia ſolum fieri, occaſione monſtri ouilli ſine ore et faucibus nati* oſtenditur, Auctore D. IOANNE CHRISTIANO THEMELIO, Annaemontano. Admiratione omnino dignus eſt, quem tabula aenea delineari curauit Cl. Auctor, foetus ouillus, cuius deſcriptionem in praeſenti tractatu dedit. Agnus, reliquis membris vere naturalibus, capite vero deformoſiſſimo natus, in antica regione colli, vbi cartilago thyroidea locum habet, maximo, et ſtrumae inſtar ſacco, molli tactuique cedente praeditus, ne minimum faucium aut palati habuit indicium, aures vero ibi poſitas, vbi in ſtatu naturali os atque maxilla inferior eſſe ſolent. Monſtrum hoc cum in vtero vixerit, nulla tamen oris veſtigia habuerit, Noſtro opportunitatem praebuit, ſententiam ſuam, qua foetum per ſola vmbilicalia vaſa nutriri aſſerit, corroborandi. Septemdecim argumenta aliorum auctorum, qui foetum in vtero materno per os

nutriri affirmarunt, adduxit, eaque interdum fa conueniente in contrarium adducta ſententia refu tare allaborauit.

X.

Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc par M. VANDERMONDE, Docteur en Mede cine de la Faculté de Paris, ancien Profeſſeur en Chirurgie françoiſe, Cenſeur Royal et Membre de l' Inſtitut de Bologne. Tome XV. a Paris 1761. chez Vincent. 8. alph. 1. pl. 13. tab. aen. 1. et Tome XVI. 1762. alph. 1. pl. 13. tab. aen. 1.

h. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, etc. pertinens; Auctore Cl. VANDERMONDE. Tomus XV. et XVI. etc.

In menſe iulio 1761 notari meretur

Tom. XV. p. 20. 2) *Hiſtoria morbi ſpaſmodici, in quo aegra in viginti ſex menſium ſpatio trecentas venaeſectiones ſuſtinuit*, auctore Cl. LAUGIER. Virgo, viginti duorum annorum, a terrore ſuppreſſionem habuit menſium, quartoue menſe incidit in epilepſiam hyſtericam, qua creberrime affecta tandem vſu lactis paululum refecta eſt; ſed paulo poſt a refrigeratione et ira in priſtinum morbum reiecta, vehementem cephalalgiam paſſa eſt, ſibique ſemper in paroxyſmo venam ſecari voluit. Multos commiſit diaetae errores in victu, nec niſi intra octo vel quatuordecim dies aluum depoſuit; tandem dolores capitis et ſuffocationes periodicae factae ſunt, febris habitualis aegram, per diem calore, et nocte frigore, affecit, et haemo-

haemoptoe acceſſit, donec tandem poſt graues do-
ores ventris lethargo et morti ſuccubuit.

3) *Obſeruatio vertiginis habitualis vſu coffeae curatae;* p. 38.
uctore Cl. FELIX. Aegra antea ab vſu coffeae
bſtinens, eius ope intra tres menſes a vehementiſ-
ima vertigine, quae nullis cedebat medicamentis,
plane liberata eſt.

5) Cl. AUBER deſcribit *vitulum monſtroſum.* Caput p. 45.
ex duobus capitibus conſtare viſum eſt, duabus auri-
bus tribusque oculis inſtructum, quorum vnus in me-
dio frontis poſitus, reliquis minor, nullos continuit
humores, potius in fundo orbitae adfuit membrana
mollis, quae oculo, humoribus vacuo, non diſſimilis
erat, cuius neruus opticus naturalem habuit magnitu-
dinem. Duae aderant proboſcides recte conformatae
naribusque inſtructae; conſpiciebantur ſinus maxilla-
res, ſed vnus tantum ſinus frontalis. Vtraque pro-
boſcis duas maxillas habuit, 64 dentibus ornatas.
Os vtriusque proboſcidis in anterius et poſterius
diuidebatur; poſterius vtriuſque cum altero con-
nectebatur protuberantia oſſea; aderant duae lin-
guae poſterius connexae oſſique hyoideo adhaeren-
tes; conſpiciebantur etiam in palatis vuulae. Pha-
rynx ſepto membranaceo erat diuiſus, quod duplici
oeſophago reſpondebat, quorum ſiniſter dextro
multo anguſtior erat. Loco falcis in cerebro adfuit
ſeptum membranoſum ad baſin cranii vſque deſcen-
dens, ab interna lamina durae matris productum;
cerebrum ipſum a naturali ſitu parum recedebat; me-
dulla ſpinalis continuato ſepto membranaceo diui-
debatur. Vterque neruus opticus peculiarem emiſit
ramum ad tertium neruum opticum formandum.

6) Cl. THIBAULT exhibet *obſeruationem, de ſemi-* p. 52
nibus auenae, quae in ventriculo hominis progermina-
runt; ibi enim remanſerant a menſe octobri ad iulium
vſque, et febrem, nauſeas, doloresque excitarant,

donec tandem aeger vomitu eiecit ſemina, qua in ventriculo radices tenuiſſimas longitudine duo rum triumue digitorum egerant.

p. 54. 7) *Obſeruatio de vulnere thoracem penetrante*, a ctore Cl. CASTILLON. Globulus plumbeus ſclope perforauit pectus in ſiniſtra inferiore, poſteriore e laterali parte; altero die tumor ortus eſt in dextr latere prope papillam, ad oui gallinacei magnitudi nem, quo aperto globulum exemit Cl. Auctor; ipſum vulnus anterius intra decem dies, poſteri intra quatuor hebdomadas coaluit.

p. 57. 8) *Excreſcentiam polypoſam* deſcribit Cl. LIE TAUD, *quam inuenis, aluum deponens, ex ano eic* Pyri magnitudinem habuit.

p. 66. 10) *Obſeruatio de exſtirpato tumore magno, parti rali externae labii dextri genitalium adhaerente*, a C MESTIVIER. Cum tumor vaginae et intesti recto arcte adhaereret, varias cyſticas tumoris par tes chirurgus in eius fundo reliquit, quae ſcarificat deinde ex voto ſuppuratione feceſſerunt, et aegr reſtituta eſt. Hoc ſteatoma quatuor librarum pon dus aequauit.

p. 68. 11) *Obſeruationem chirurgicam* narrat Cl. LE PEIG de foemina, fluore albo affecta, in cuius capite, ict funis craſſi, tres tumores orti erant. Aperuit tumo rem ſuper ſinus frontales affixum, ex quo pus ſan guinolentum exiit, et cariem detexit, quae virgul ſex lineas in longitudinem, et decem in latitudinem manarat. Fruſtra tractauit vulnus per menſem re tatis remediis, tandem dilatauit a ſinubus frontali bus vſque ad futuram transuerſalem, et poſt quadra ginta octo horas impoſuit cariei turundam, aqua mercuriali per aquam communem mitigata imbu tam; ſic vulnus in dies correctum eſt et quarto menſe caries diſparuit. Cum tandem accederet pertinax hepatis obſtructio: et ab hac, et a pulſa tione

ione perpetua durae matris cicatricis formatio re-
ardata eſt, donec tandem adhibuit laminam argen-
eam excauatam, et aegra deinceps vſu aquarum Paſ-
arum plane reſtituta eſt.

In menſe auguſto 1761 deprehenditur

2) *Obſeruatio de vſu pillularum cicutae in tumore ſcir-* p. 129.
rhoſo, a Cl. AUBRELIQUE. Virgo, viginti quin-
que annorum, tumorem habuit in regione hypo-
gaſtrica per quatuor annos ita creſcentem, vt ven-
ter grauiditatis ſpeciem referret; ipſe tumor iam
ſcirrhoſus maximos dolores creabat; iuſcula vero
diluentia aegrae exhibita et fomenta emollientia tu-
mori applicata febrem mitigarunt, atque pilulae
cicutae ad tres et quatuor pro doſi ſenſim tumorem
diminuerunt, haemorrhagias vteri coercuerunt,
aegramque tandem plane ſanarunt.

5) *Obſeruatio defectus conformationis*, a Cl. MAI- p. 142.
GROT facta, deſcribit puerum viuum capite mon-
ſtroſo, cui deerat os coronale, oſſa parietalia et
temporum, atque loco occipitalis aderat os figurae
irregularis, vt cerebrum, limitibus oſſeis non ſatis
circumdatum, cutem valde diſtenderet. Facies e
maxillis vtriſque tantum compoſita ſummopere de-
preſſa erat; naſus ex meris carnibus conſtabat;
bulbi oculorum prominentes et cornea opaca in-
ſtructi, ſolo neruo optico ſuſtentabantur; aurium,
ſub angulis maxillae inferioris haerentium, pars an-
terior ſurſum directa erat, et poſterior deorſum ver-
gebat; reliquae corporis partes ſanae et bene con-
formatae inueniebantur. Mater initio grauiditatis
verberibus male fuerat tractata.

7) *Obſeruatio de fractura cruris complicata cum vul-* p. 146.
nere et luxatione, quam ſequebatur gangraena; Auctore
Cl. BAUDIN. Vir lapſu fregit inferiorem tibiae partem
et fibulam e loco ſuo dimouit; chirurgus reduxit os

luxatum, idque, fracturam vulnusque negligens fascia valde adstricta tantopere compressit, vt bre accederet gangraena, quam vero vsus chinae i mitigauit, vt aeger tandem crure recte vti posset.

p. 151. 8) *De haemorrhagia sic sedata, vt aegra pleuritica linteum madefactum inuoluere tur*, Auctore Cl. OLIVIER. Cum post abortum sanguinis fluxus immodicus effe aegram in linteum inuoluit, quod aqua cum acet mixta imbutum erat, idque saepe continuauit, v sanguinis egressus cessaret et aegra intra quatuor decim dies a febre liberaretur.

p. 155. 9) Cl. MAURANT describit *linguam monstrosa* pueri, duos pollices crassam, et ex ore ad quatuor digitos transuersos propendentem, cuius papillae neruosae obductae erant muco nigro et spisso, vnde continuo promanabat saliua viscida, lintea arrodens. Infans masticauit alimenta molarium ope, cum incisiui et canini deciderint, et maxilla inferior in medio curuata sit, vt lingua in hoc spatio haerescat. Motus maxillae inferioris infanti facillimus est, ipsamque loquelam adiuuare videtur, vti alias lactationem.

p. 179. 11) *Ad exstirpandas verrucas* suadet Cl. DE SAINT-MARTIN saepe eas fricare puluere foliorum campanulae cymbalariae folio hederaceo. Idem praestat sanguis talpae.

Mensis septembris 1761 inprimis continet

p. 214. 3) *Obseruationem de effectibus olei nucis et vini Alicantici contra taeniam*, Auctore Cl. BINET. Foeminae taenia laboranti exhibuit hoc remedium per tredecim dies, et taenia inde iam tertio die per partes e corpore eiiciebatur.

p. 220. 4) *De veneno bufonis*, Auctore Cl. DELAMAZIERE. Cum quis bufonem igne camini necasset: ancilla, quae paulo post ignem ore inflabat, magna anxietate afficiebatur, et facies auresque eius valde intumescebant, tandem

tandem in copioſum ſudorem incidens altero die reſtituta eſt.

5) *Obſeruationes de vſu interno extracti cicutae*, a Cl. LANDEUTTE, quod dedit militi ſcirrho lienis affecto, et externe applicauit emplaſtrum cicutae. Deinde ſolum exhibuit extractum ad ſcrupulum vnum pro doſi cum proſpero ſucceſſu, quae vero ad drachmam ſemis aucta appetitum diminuit, deiectiones et febrem ephemeram produxit, idemque ter accidit, vt tandem aeger moriretur. In foemina vero pillulae cicutae ſenſim diſſiparunt tumorem ſcirrhoſum mammae, quamquam harum vſu in menſe ſecundo dolores lancinantes oriebantur. p. 223.

8) Cl. DE BAUX *Epiſtola ad* Cl. DE LA CONDAMINE *de numero inoculatorum in Prouincia Galliae.* Intra menſium viginti vnius ſpatium octoginta quinque homines in Prouincia optimo cum ſucceſſu inoculati ſunt, in quibus tredecim erant adulti, quorum ſex variolis non affecti ſunt, etiamſi ſigna declarabant, myaſma varioloſum externum ſanguini ſe immiſcuiſſe, in reliquis vero ſeptuaginta duobus infantibus tres quatuorue tantum a variolis liberi fuerunt. Vnde patet, aetate prouectiores, qui in crebra variolarum epidemia incolumes vixerunt, minora contagii pericula habere iunioribus, et quadragenarios rarius inde affici, quam qui vigeſimum quartum vel trigeſimum annum nondum ſuperarint, quod duobus exemplis hic declaratur. p. 272.

Menſe octobri.

3) *Obſeruatio de febre hemitritaea male tractata et inopinata criſi curata, cum obſeruationibus nouis de pulſu naſali*, a Cl. DESBREST. Aeger nimiis venaeſectionibus et purgantibus ad agonem vſque perductus tandem vndecimo die in ſudorem largiſſimum incidit, et poſt hanc criſin in dies melius ſe habuit. p. 312.

habuit. Haemorrhagias narium, leues quidem sed crebras, semper praecedebat pulsus reniten[s], a Cl. Auctore pulsus dissolutionis et pulsus nasalis dictus, qui, cum resolutionem sanguinis indicet, semper venaesectionem dissuadet.

p. 325. 4) *Observatio de virgine, quae, cum antea obsessa crederetur nunc optima gaudet sanitate*, a Cl. GERARD. Puella duodecim annorum, difficultate deglutiendi affecta, tertio die incidit in singultum, qui canis latratum imitabatur, et ob debilitatem extremitatum inferiorum in lectulo retenta fuit, tandem opisthotonus accessit. Vsus vero antispasmodicorum, relaxantium et venaesectio pedis affectus conuulsiuos plane dissipauit et aegram sanauit.

p. 330. 5) *Observatio de plica polonica*, a Cl. LANDEUTTL. Morbus hic descriptus hereditarius fuit et saepe rediens, cum foemina sexaginta duorum annorum nunc quarta laboret plica polonica, quatuor pedum longitudine et duorum pollicum crassitie. Minime praescindendae sunt, hae plicae, cum inde visus debilitetur. Cl. Auctor earum caussam in vitio texturae pericranii capillati et obstructione pororum ab immunditie oriunda quaerit.

p. 336. 6) *Sectio cadaueris*, Auctore Cl. IUVET. E foemina ascitica post mortem eduxit Cl. Auctor centum et decem libras aquae purae cum lamellis lymphaticis mixtae, quam saccus ex peritoneo factus continuit, qui vbique a musculis transuersis et a facie anteriore renum separatus erat; viscera vero sana nec ab aqua circumdata inueniebantur.

p. 363. 9) *Observatio de exitu ossiculorum auditus post inflammationem gangraenosam faucium*, a Cl. HENRY. Puer quindecim annorum sexto die febris putridae eiecit e naribus frustulum carnis putrescentis, et decimo die ex auribus pus emanauit, quocum simul malleus cum incude exierunt. Cum vero aeger non

sensisset

ſenſiſſet dolorem fixum in auribus: forte inflammatio per tubas EUSTACHII communicata in pus diſſoluit membranas aurium internas, ideoque oſſicula libera reddita exierunt et audiendi facultas aegro plane demta eſt.

Menſe nouembri

2) *Diſſertatio de colica pictonum in genere*, Auctore Cl. BONTÉ. Colica pictonum eſt vel *primitiua*, vel *ſecundaria*. *Prior*, a cauſſa ſenſibili in canalem alimentorum perducta, vel *mineralis* vel *vegetabilis* dicenda eſt. *Altera* ſiue *ſecundaria* pendet a cauſſa in maſſa ſanguinis haerente, et vel *arthritica*, vel *ſcorbutica*, vel *febrilis*, vel *melancholica* eſt. Colicae pictonum primitiuae prior ſpecies, *mineralis* dicta, oritur a pulueribus metallicis in canalem inteſtinorum introductis. *Vegetabilis* excitatur vſu potus, qui acido tartareo nimis abundat, vt vini albi, cereuiſiae veteris, vini pomacei. Peculiaria eius ſymptomata ſunt languor, facies cachectica, pondus ventriculi, nauſea, infirmitas genuum, pulſus debilis, inaequalis, vomitus acres, linguae ſiccitas, ſingultus, dolores viuidi primum in regione ventriculi, deinde in regione vmbilicali, tandem membris ſe communicantes, dolores renum cum iſchuria, aluus conſtipata, tenſa, non adeo tamen contracta, quam in colica pictonum minerali. Interdum pulſus durior fit, accedit delirium ſuaue, epileptici motus, affectus comatoſi. Declinante morbo febris lentae ſimilis perſiſtit et membrorum paralyſis ſemper accedit, ſaepe etiam icterus et hydrops. Sudores nonnunquam tum oriundi puſtulas rubras in cute excitant et paralyſin nuntiant, diarrhoea vero critica eſt et vtilis. Differt lento acceſſu a *colica pictonum minerali*, quippe quae ſubito prorumpit, ſine febre, delirio et inflammatione. *Colica pictonum arthritica* inſultus arthriticos

p. 399.

producit, non adeo perſiſtentes, quam qui a podagra irregulari oriuntur, aluus parum conſtipata eſt, dolores ſunt vehementes ſed breues, cum ſpaſmo ventriculi et ſuppreſſione reſpirationis coniuncti, et articuli praecipue dolent. Paralyſis ſaepe accedens curatur, ſi podagra metaſtaſin ad articulos facit. *Colica pictonum ſcorbutica*, in tertio plerumque ſtadio ſcorbuti irrumpens, doloribus membrorum ſignificatur et ſtranguriam, ſaepe aluum ſanguinolentam, paralyſin non diu durantem et mutabilem affert. *Colica pictonum febrilis* cognoſcitur e facies et oculorum colore flauo, oris amaritie, vocis raucitate, vomitu bilioſo et crebro, vrina turbida, cute ſicca. Saepe hanc duplicata febris comitatur, et ſedatis doloribus ventris intermittens febris redit, hac ceſſante, dolores, icterus, ipſaque paralyſis ſequuntur. *Colica pictonum melancholica*, a ſummo gradu melancholiae excitata, valde pertinax eſt, dolores ventriculi inſignes, flatulentiam, cardialgiam, deliria, et affectus comatoſos gignit, ſubſultus tendinum ſubſequuntur et epilepſia, quae ſaepius, quam paralyſis et mania, accedit. Vrina atrabiliaria et ſimilis deiectio hanc interdum tollunt. *Colica hyſterica*, quam paralyſis et epilepſia non finit, et *colica tranſpirationis ſuppreſſae*, quae minime ſymptomata eſſentialia colicae pictonum habet, minime peculiares ſpecies colicae pictonum ſecundariae conſtituere poſſunt.

p. 434. 5) *Obſeruatio de infante monſtroſo* a Cl. THIBAULD. Caput conſtabat panniculo piloſo, cerebro et oſſibus maxillae ſuperioris, ſphenoideo et ethmoideo, deficiente oſſe occipitali, coronali et parietalibus. Brachia longitudine trium pollicum, et manus figura et magnitudine pedis talpae erant, femora et crura, quatuor pollices longa, pedibus talpaceis inſtructa, extrorſum dirigebantur et cum perinaeo linea recta

poſita

posita erant. Viuus ad lucem productus fuit, capite praeuio.

6) *Obseruatio de corpore peregrino trium librarum pondere, quod ex vtero foeminae exiit*, a Cl. LE CLERC. p. 436. Foemina nimia vteri haemorrhagia debilitata produxit massam, magnitudine capitis neonati, colore cinereo et ex multis hydatidibus et corpore placentae simili compositam. Lochia deinde solito modo fluebant.

7) *Obseruatio de commotione vehementissima, qua aeger ad viginti quinque dies sine sensuum vsu mansit* a Cl. HENRY. p. 439. Vir lapsu ad crotaphitem dextrum ita vulneratus est, vt motu et sensu destitutus iaceret, multumque sanguinis e vulnere, aure et ore cum vomitu amitteret. Os non fractum fuit; discidit Cl. Auctor pericranium, et intra quatuor dies decem venaesectiones instituit, donec aeger vicesimo quinto die sensus recuperauit.

Mense decembri

2) *Notiones generales de colica pictonum vegetabili, vsu vini pomacei exorta*, Auctore Cl. BONTE. p. 496. Vinum pomaceum vetustum, nimis fermentatum, vbi acidum tartareum quasi liberum est, colicam pictonum vegetabilem producit, quae frequentior est in annis fertilibus, ob fructuum immaturitatem, et in sterilibus, cum ibi vinum pomaceum vetustum in vsu sit, quam in annis vilioribus. A diuersitate soli et arborum aetate pretium eius pendet, idque melius est, quod ex arboribus vetustis conficitur. Colica pictonum vegetabilis ab eius vsu saepius inducitur in domibus celebrioribus, vbi in magnis vasis inclusum nimis fermentare solet, et in iis, qui vitam sedentariam amant; coqui ab ignis ardore rigefacti et in athmosphaera metallica degentes, quae in coquinis a vasis cupreis ignis calore in calcem mutatis oritur,

oritur, huic morbo maxime expoſiti ſunt, nec minus miniſtri, inprimis diuitum. Haec ſaepe redire ſolet a leui cauſa, ob imbecillitatem neruorum, ſaepe complicata eſt cum colica pictonum metallica, vbi reſiſtunt inprimis materiae metallicae vel verae, vel ſub forma calcis, eaedem materiae diſſolutae et in vera venena mutatae, et acidum liquorum fermentatorum in primis viis euolutum. Saepe ſimul coniungitur colica arthritica et rheumatica, cum podagra pendeat ab acido tartareo, atque tum proſunt veſicatoria. Cum colica pictonum melancholica ſociata ſaepe producit triſtiſſimos effectus, v. g. epilepſiam ad vitae finem vſque durantem, paralyſin minime curandam, icterum pertinacem. Rarius ſe coniungit cum colica pictonum febrili et ſcorbutica, ſaepius vero cum affectibus hyſtericis.

p. 525. 5) *Epiſtola* ad Cl. Auctorem, *de piſo, quod in cauitate narium progerminauit*, a Cl. RENARD. Infantium annorum tumorem habuit in naſi dextra parte, vnde Cl. Auctor, polypum metuens, piſum eduxit, quod duodecim radices protruſerat, quarum minima pollicis vnius, maxima pollicum trium longitudinem habuit.

Tom. XVI. Tomus XVI. praeter alia in menſe ianuario 1762 ſequentia potiſſimum complectitur.

p. 33. 3) *Obſeruationem, de hydrophobia ſpontanea ſingulari*, Auctore Cl. MAZARS DE CAZELES. Foemina, quae vndecies grauida fuerat, ſemper in quatuor primis menſibus grauiditatis hydrophobia maxime ſingulari laborabat, quae mox a conceptione horrore potus atque ciborum liquidorum, etiamſi et alii his vterentur, ſe manifeſtauit. Adſpectu et murmure aquae in tremores et animi deliquia incidit, et pontem tranſiit obturatis auribus oculisque deligatis.

4) *Obſer-*

4) *Obſeruationes de medela duorum cancrorum vlceratorum et faciei et mammae, vſu cicutae;* Auctore Cl. DECOTES. Foeminae cancrum mammae apertum vſu pillularum cicutae, viginti octo granorum pro doſi, intra quatuor menſes plane curauit, et in viro in earum doſi ad quadraginta octo grana vſque aſcendit, et quamuis debilitatus hinc eſſet viſus, tandem intra duos menſes cancrum faciei et dorſi ex voto diſſipauit. Vtroſque vero aegros per totam curam ſingulis hebdomadibus purgauit duodecim granis *paſtae alexipharmacae de Rotrou*, quae ita praeparatur, vt ex ſemine ricini excorticato oleum premitur, pulueris relicti libra ſemis, ſerpentariae Virginianae vnciae quatuor, tartari albi vncia vna ſumatur, qui puluis ſoli per menſem exponatur, et ſub pillularum forma cum vino Hiſpanico facta exhibeatur, isque ſemper aluum duodecies et quindecies mouit. Dubius igitur eſt Cl. Auctor, vtrum huic remedio, an cicutae, maior curandi vis attribuenda ſit. p. 35.

5) *Epiſtola Cl.* LE CHANDELIER *ad Cl.* VANDERMONDE, *de nonnullis experimentis chemicis.* Cl. Auctor oleum ouorum eduxit ſine igne et ſola diſſolutione principiorum, quae ſpiritu vini rectificato paratur. 1) Diluit vitellum oui gallinacei ſeptem vnciis aquae purae frigidae, quae tingebatur et vitellum fundum petiit, nec poſt triginta ſex horas guttula olei apparuit. 2) Vitellum difficulter ſe coniunxit cum vnciis duabus olei terebinthinae, atque, cum id, quod ab vnciis ſeptem aquae ſolutum erat, affuſum eſſet, ſuper aquam natauit. 3) Vncia vna ſpiritus vini conſiſtentiam vitelli non auxit, quod deinde affuſis vnciis ſeptem aquae ſe praecipitauit, et aqua tincta manſit ſine olei indicio. 4) Vitellum cum drachmis duabus ſpiritus vini rectificati mixtum butyri conſiſtentiam accepit, et quinque p. 43.

que vnciis aquae frigidae deinceps dilutum, aliquid olei dedit. 5) Maiorem olei copiam exhibuit vitellum per octo dies conſeruatum et ſimili modo tractatum. 6) Drachma vna ſpiritus vini non ſufficit ad oleum vitelli educendum, et ſpiritus vini debilitatur, ſi vitellum in aqua expanſum eſt, quippe qui aquae admiſcetur. 7) Quatuor vitella per octo dies conſeruata, cum vncia vna ſpiritus vini rectificati mixta et vnciis viginti aquae diluta, multum olei intra viginti quatuor horas produxerunt. 8) Tandem denuo quatuor vitella cum vncia vna et dimidia ſpiritus vini miſcuit, et vnciis triginta aquae diluit, in qua duodecim grana aluminis ſoluta erant, et ex his octo vitellis ſex drachmas olei confecit.

p. 49. 6) *Animaduerſiones de morbo oculorum, vbi declaratur vera cauſſa ſymptomatum, quae operationi extractionis cataractae bene inſtitutae accedunt, et vbi proponitur modus his proſpiciendi;* Auctore Cl. DEMOURS. Relaxatio vueae et corneae cicatriſatio ſaepe extractionem cataractae ſequuntur, et a modo deligandi pendent. Suadet igitur eiuſmodi deligationem, qua oculi partes externae in ſitu naturali conſeruantur. Inprimatur itaque oculus ſanus emplaſtro, vt figura oculi emplaſtro impreſſa remaneat, et imponatur oculo aegroto linteum ſimplex iam vſitatum et aqua madefactum, ſuper quod effudatur cochlear emplaſtri aqua calida emolliti, vt forma oculi accurate exprimatur; idque poſt aliquot minutas ſatis durum erit, vt loco linteorum vſitatorum adhiberi poſſit.

p. 61. 7) *Obſeruatio de callo, qui exortus eſt in fractura femoris, quamquam carie maxime affectum erat,* a Cl. CAMPARDON. Operarius lapſu contuſit femur dextrum ſenſimque ſe formauit abſceſſus, qui cum aperiretur et inde effluxiſſent librae duae ſaniei, aeger ex ſubitaneo motu hoc femur fregit, ad tres quatuorue digitos ſupra condylos, et dilatato vulnere caries

ſimul

simul detecta est. Febris et dysenteria inprimis molesta erat aegro, quibus tandem sedatis callus ossis fracti bene formatus est, et vulnus sensim coaluit atque relicta fistula, vnde materies sanioſa perpetuo emanabat, partis inferioris femoris intumescentia, durities et leuis exostosis, aegrum a pristinis functionibus non impediunt.

In mense februario.

4) *Obseruatio de catalepsi a terrore exorta*, Auctore Cl. MAZARS DE CAZELLES. Euacuato aegro per ptisanam quandam cum vino antimoniato exhibuit iusculum veruecinum cum paeonia mascula, valeriana syluestri et floribus gallii lutei per quatuordecim dies, et denuo purgauit, vt inde catalepsis plane dissiparetur, quam redeuntem iterum similibus remediis et iusculis cephalicis curauit. p. 131.

5) *Obseruatio de effectibus periculosis a retropulsa scabie*, Auctore Cl. VETILLART DU RIBERT. Narrantur hic varii morbi in diuersis hominibus inde exorti, vt angustia intestinorum, carcinoma labii oris, phthisis, hydrops, dolores ventriculi et plura. p. 144.

6) *Obseruatio de foemina ad annum septuagesimum quintum vsque menstruata*, a Cl. CELLIEZ. Iam a decimo tertio anno catamenia suo tempore habuit, quae quadragesimo quinto anno cessarunt vsque ad septuagesimum secundum annum, vbi a terrore subitaneo magnam haemorrhagiam vteri passa, et ab hoc tempore singulis mensibus fluxu catameniorum sine vllo incommodo affecta est. p. 152.

7) *Epistola* Cl. SABLIERE *ad* Cl. VANDERMONDE, *de parte costae bouinae, quae ex fistula ani hominis exibat.* Decem lineas longa et quatuor vel quinque lineas crassa erat, extremitatibus acutis curuis, et febrem, dolores, abscessus, sinus et fistulas sensim exci- p. 155.

excitarat, qua quidem extracta aeger celeriter ſanatus eſt.

p. 159. 8) *Obſeruatio de punctione veſicae in vrinae retentione, cathetere ſine fructu applicato*, a Cl. AGASSON. Vir ſexaginta trium annorum, tanta iſchuria angebatur, vt venter maxime diſtenderetur et peſſima ſymptomata adeſſent, nec niſi aliquot guttulae ſanguinis ex vrethra ſpecillo explorata exirent. Compunxit igitur veſicam Cl. Auctor acu triquetra in regione pubis, ad dextrum latus lineae albae, cum carnoſitates, in collo veſicae metuendae, punctionem in perinaeo diſſuaſiſſent. Eduxit vrinam aliquoties, et illa enchireſi iterum cum ſucceſſu vſus eſt, cum fortuito cannula e veſica exiiſſet. Cauſſam iſchuriae quaeſiuit in maſſa ſcirrhoſo polypoſa in collo veſicae haerente.

p. 169. 9) *Obſeruatio de ſectione portionis epiploi ex vulnere prope vmbilicum propendentis*, a Cl. HENRY. Vulnus tredecim lineas longum erat, vnde exiit portio epiploi quinque vel ſex digitorum, quam cum nullo modo reducere poſſet Auctor, forfice praeſcidit, vnde parum ſanguinis effluit; reliqua ſine ligatura optimo tamen cum ſucceſſu reduxit, vulnus futura vniit, et aeger breui tempore rurſus conualuit.

Menſe martio.

p. 223. 3) *De foemina a morſu ſcorpionis curata*, Auctore Cl. VIMONT. Ex vulnere in medio digito cubitus maximopere intumuit, et ibi puſtulae ſero maxime rodente plenae ortae ſunt, quem Cl. Auctor arctius ſupra tumorem ligauit, veſiculas incidit, ſcarificatam manum et digitum fouit ſpiritu vini, et impoſuit cataplaſma ex allio, foliis fraxini et ruta inuicem tritis et cum aqua vitae commixtis; interne vero exhibuit drachmam vnam cum dimidia theriacae. Quibus igitur remediis per quinque dies applicatis intumeſcentia cubiti plane reſedit.

4) *Obſeruatio de infante octenni, iam in altero aetatis anno catameniis affecto*, a Cl. BERTRAND. Haec puella anno aetatis ſecundo medio iam catamenia paſſa eſt, quae vſque ad medium quinti anni, dum variolis laborabat, ſingulis menſibus ordine conſueto fluxerunt. Nunc redierunt in medio noni anni, dum tuſſi conuulſiua laborabat. p. 227.

8) *Reſponſio* Cl. DAVIEL *ad epiſtolam* Ill. DE HALLER, *d.* 11. *Nov.* 1761. Cl. Auctor contendit, iridem vix ſenſilem eſſe, et ſe ipſum ſaepe portiones huius membranae praeſcidiſſe, ſi in ſtaphylomate nimis adhaeſerit corneae, nec aegros inde viſum amiſiſſe, adeoque id requiri, ſi portio iridis incarcerata non reduci poteſt, niſi fundus oculi ſimul irritetur. Diſcindi igitur poteſt pupilla, ſi lens cryſtallina nimis magna et dura ſit, vel adhaerens, vel pupilla dilatari non queat. Ipſe inter quadraginta tres operationes cataractam extraxit, quae tam dura et craſſa erat, et pupilla nimis parua parum ſe dilatabat, vt annulus vſque ad circulum internum ciliarem diſrumperetur. Alius pupilla poſt extractam cataractam maxima ex parte motu priuata erat, ſine viſus imminutione. Alius, pupilla plane immobili facta, optime tamen picturas tractare potuit. Quodſi igitur choroidea non ſoluitur a cornea et retina ictu aliquo oculorum: ſectio iridis et pupillae eiuſque diſruptio nulla ſymptomata producit. p. 245.

Menſe aprili

2) *Expoſitio et explicatio ſymptomatum colicae pictonum vegetabilis* Auctore Cl. BONTÉ. Tres claſſes eorum conſiderat Cl. Auctor, 1) ſymptomata, quae initio morbi obſeruantur, 2) quae in progreſſu eius accedunt, 3) quae in eius fine adſunt. p. 300.

1) Quibus imminet haec colica, ii languore afficiuntur, digeſtio lentior fit, chylo male praeparato

ſecretiones non rite conficiuntur, vigor animi perit ex atonia neruorum et difficili circulo ſanguinis in abdomine. Facies a viſcido et acido primarum viarum palleſcit, a bile ad ſanguinem refluente ſimul cum oculis flaueſcit vel plumbea apparet. Saburra viſcida ventriculi ponderis ſenſum, ructus et nauſeas producit; eadem in omni inteſtinorum tractu expanſa et a calore euoluta ſpaſmos vagos in nonnullis partibus abdominis excitat, in aliis ſtuporem; imbecillitas femorum et genuum ſentitur, ab irritatis neruis lumbaribus; pulſus eſt exilis, durus, inaequalis, ob nexum nerui intercoſtalis cum neruis cardiacis; lingua ſicca, cruſta alba obducta; vomitus crebro accedit, mucoſus, flauouiridis, ab irritatis neruis exortus, inprimis ab acido primarum viarum, quarum ſiccitas, bilis viſcoſitas et inteſtinorum contractio ſpaſmodica, pertinacem alui obſtructionem excitant.

p. 310. II) Dolores abdominis acerrimi fiunt, acido magis euoluto, fermentato, et irritante. Infimi ventris ſenſilitas maior eſt, quam in colica pictonum minerali, tantopere increſcens, vt aegri ne tactum quidem, nec leuia ſtragula ſufferre poſſint; raro abdomen ſe contrahit, ſed potius ob flatulentiam volumine augetur; dolores renum vehementiſſimi ſunt; vrina ſaepe ſupprimitur, mox clara, mox turbida, cum dyſuria vel ſtranguria, idque ex ſympathia neruorum; dolores pungentes infimi ventris ad omnia membra expanduntur; obſeruantur ſpaſmi doloroſi, horrores vniuerſales, pulſus durus, frequens; febris accedit, affectus comatoſi a cerebri compreſſione; conuulſiones epilepticae, praegredientibus ſaepe tendinum ſubſultibus; inſomnia perpetua, deliria; rariſſime vero raucitas et ſuppreſſio loquelae.

3) Ob-

3) *Obſeruatio de fractura complicata partis inferioris* p. 325.
ruris, doloribus ad partum accedente; a Cl. MUTEAU
DE ROCQUEMONT. *Fil.* Foemina partui propin-
qua collapſu domus in ſubterraneum fornicem de-
fecta eſt, et e ruinis educta in ſyncopen incidit, et
cruris fracturam complicatam paſſa eſt. Fractum
os in ſitum iuſtum ſtatim reduxit et faſcias appli-
cauit, quamquam dolores ad partum aderant. Col-
locauit deinde duas foeminas ad latus fracturae, qua-
rum vna femur ſurſum tenebat, altera fractum crus,
atque ad femoris motum dirigebat; alia latus op-
poſitum tractabat, aliaque foeminae ſcapulas fixas
tenebat, et oſſi ſacro plures panni ſubiiciebantur.
Vnctis autem genitalibus oleo, manu repulſauit
caput foetus male poſitum, ſenſimque verticem ad
oriſicium vteri adduxit. Foetus deinde auctis do-
loribus viuus ad lucem editus eſt. Fractura nihil
damni inde cepit, et intra triginta octo dies plane
coaluit, ſalua aegrota.

5) *Obſeruatio de hydroſarcocele, frictionibus mercu-* p. 333.
rialibus curata, quamquam malum venereum non metu-
endum erat, a Cl. TERLIER. Nauta lapſu ante ſex
menſes ſibi parabat dolores lancinantes teſticuli ſini-
ſtri, vt ſcrotum ſenſim maxime intumeſceret, fluctu-
aret et initium gangraenae iam adeſſet, cum ſalta-
tioni valde indulſiſſet. Remouit Cl Auctor partem
gangraenoſam, aperuit ſaccum muſculoſum tunicae
dartos, et exiit aqua turbida duarum librarum pon-
dere. Ipſe teſticulus ſcirrhoſus inferius excreſcen-
tia polypoſa ad pugni magnitudinem onuſtus erat, et
funiculus ſpermaticus ſcirrhoſus duos pollices in
diametro aequauit. Deſtruxit hoc ſarcoma cauſti-
cis, varia fruſtra tentauit ad leuandos ſcirrhos; aquam
in ſacco collectam decies punctione euacuauit, tan-
dem ſetaceo aquae exitum parauit. Poſtremo ad-

hibuit per aliquot menſes frictiones mercuriales, quibus hanc ſarcocelen plane curauit.

p. 344. 6) *Epiſtola* ad Cl. VANDERMONDE, *de miro effectu vrinae feruidae in vulnere frontis cariofo*, a Cl. HETTLINGER. Frons infantis lapſu vulneratus eſt, vt os coronale quinque vel ſex lineas pateficeret et ex neglectu ſenſim carie afficeretur. Vrina feruida vero, pene calore aquae feruidae, vlceri applicata fomentatione, exfoliationem accelerauit, et vulnus intra ſex dies plane conſolidauit.

Menſe maio

p. 398. 2) *Expoſitio et explicatio ſymptomatum colicae pictonum vegetabilis* a Cl. BONTE. Continuatur haec *tertia claſſis* ſymptomatum. Interdum initio decrementi colicae accedunt haemorrhagiae narium quae criſis rara quidem, ſed ſalutaris eſt, vt et ceſſus catameniorum, cum epilepſiam, affectus cematoſos, cet. caueat, ſpaſmos abdominales tollat et vim venaeſectionis habeat. Coecitas circa finem morbi accedens a vaſis ſanguiferis retinae ita diſtentis, vt neruus opticus eiuſque ramuli comprimantur, exoritur, atque dolores leuat; ſi vero obſtructio ad cerebrum vſque progrediatur, et ſtupor et memoriae lapſus coniunctus ſit: dolores plane tollit. Paralyſis plerumque ſubſequitur, ſi morbus diutius durauit, vel ſaepe rediit, vel tremor membrorum iam adeſt. Superiores extremitates crebrius inde afficiuntur inferioribus, et ſemper remanet artuum imbecillitas. Cum enim neruus intercoſtalis et nerui communicantes dolore irritentur et extendantur: relaxatio ſuccedit, vaſa in membranis neruorum diſtributa obſtruuntur, humor filamenta neruoſa humectans diſſipatur, eorum agilitas perit, vnde relaxantur fibrae muſculares, quarum motus imbecillis tremorem, plane ſublatus paralyſin producit, quae

quae tamen, cum vitium in membranis neruorum haereat, curari posse videtur. Paralysis inprimis ob nexum nerui intercostalis cum ceruicalibus brachia prae reliquis afficere solet, quae interdum, si obstructio nerui intercostalis diu durauit, ob eius nexum cum neruis lumbaribus ad extremitates inferiores progreditur. Dolores colici interea continuantur, quibus cessantibus materia morbosa ad nervos delata paralysin in dies auget. Epilepsia saepe a leui caussa inducitur, quam sequitur interdum mania ob debilitatem fibrarum cerebri, peritque memoria et iudicium, febris lenta accedit ob acrimoniam humorum et mesenterii obstructionem, macies enormis, cum fluida dissipentur a vigiliis, doloribus, febre et euacuationibus perpetuis; articulorum strepitus semper obseruatur in hoc morbo, ex ligamentorum siccitate. Hydrops ob vasorum resorbentium imbecillitatem accedens, inprimis ascites, non sanari potest. In exitu morbi deiicitur ex ano materia mucosa, spumosa, flaua, aquam supernatans, odore acido; salutarem hanc crisin indicant aucti renum dolores, borborygmi, flatus, tensio abdominis, crebra eiectio materiae durae, globulosae. Sudores raro prosunt, nisi pauca adsit materia morbosa, cuius maxima pars plerumque ad neruos gangliaque ducta paralysin excitat. Sudor acidum odorem habet, vasa transpirantia intumescunt, et cutis pustulis rubris obtegitur. Vita post colicam hanc vt plurimum tristis est, cum remaneat tremor manuum, nodosi articuli, initium paralyseos, et corpus in omni aeris vicissitudine sensibile.

3) *Obseruatio de morte subita ex haemorrhagia insolita*, Auctore Cl. GONTARD. Vino dedita, triginta quinque annorum, nocte sensit dolorem medii digiti manus dextrae, et altero die gangraena accessit tam celeris, vt cum osse metacarpi amputan- p. 421.

dus esset; subsequitur febris maligna per tres hebdomadas, et varii abscessus insignes oriebantur, applicatis tamen auxiliis intra sex hebdomadas sanata est. Post quindecim menses, dum ebria est, sanguis subito prosilit e vena saphaena ex foramine ad mediam partem internam cruris, calami scriptorii ambitu, sine vlla contusione, disruptione vel vulneris indicio, isque tanto cum impetu promanabat, vt ex syncope in mortem incideret.

P. 426. 4) *Obseruatio de variis effectibus chinae chinae contra gangraenam*, a Cl. COULONVAUX. Vir quadraginta et duorum annorum, vera pleuritide complicata laborans, refrigerio suppressit pustulas cutis, vt tonsillarum tumore deglutitio impediretur et pessima symptomata accederent. Adhibuit decoctum chinae chinae cum optimo successu, et aeger vigesimo die morbi per aluum eiecit membranum dimidii pedis longitudine, quae oesophagi pars esse videbatur. Alius sexagenarius, doloribus rheumaticis, singultu et vomitu, vexatus, vsu tamen corticis peruuiani breui tempore est restitutus.

P. 432. 5) *Obseruatio de eadem re*, a Cl. DUPAS. Medio crure foeminae oblique fracto, tertio die accessit gangraena, quae simul femur et gluteos occupabat, reposuit crus, obtexit membrum linteis spiritu vini camphorato imbutis, deditque simul decoctum chinae chinae ad quatuor vncias intra viginti quatuor horas, quod cicatricem reliquorum vulnerum effecit, postea fractura vti simplex tractata breui tempore plane curata est.

P. 435. 6) *Obseruatio eiusdem generis*, a Cl. SALOMON. Orto sphacelo e fractura cruris cum vulnere, amputauit crus, et cortex peruuianus in opiato cum theriaca et extracto gentianae aegram restituit. Alius vlceribus crurum obnoxius, forte aqua vitriolica tractatus, febrem

febrem et cruris femorisque gangraenam sibi contraxit, quam vsus chinae chinae sedauit, symptomata deminuit, et aegrum intra quinquaginta dies sanitati reddidit.

7) *Obseruatio de bono effectu chinae chinae in suppuratione veſicae*, a Cl. LONGIS. Auriga, plaustro obrutus, pessimis symptomatibus angebatur, inprimis violenta retentione vrinae et alui constipatione. Reliquis frustra tentatis, specilli ope vrina educta est, tandem gangraena genitalium ipsa accessit, ichorosa materia simul e vesica effluente, omnia tamen corrigit cortex peruuianus, et tuberculum callosum urethrae cerei emollientes ex voto dissiparunt. Nec minus efficax fuit cortex peruuianus in podagra anomala, quod duobus exemplis hic confirmatur. p. 438.

8) *Obseruatio de dysuria, ex abscessu veſicae orta*, a Cl. DENIS. Sexagenarius sine febre in dysuriam incidit, et tandem cum vrina specilli ope euacuata exiit pus, quod Cl. Auctor per syringam e vesica extraxit, et eius abscessum iniectionibus purgauit. Decimo sexto die vrina foetida, nigra, specillum arrodens, emissa est; attamen corticis peruuiani vsus tandem aegrum plane restituit. Vnde patet 1) inflammationem vesicae interdum sine febre accedere; 2) materiam malignam syringae ope ad specillum applicatae e vesica duci posse; 3) specillum syringae accommodari posse per cochleam foeminam in specilli infundibulo factam, et cochleam marem ad extremitatem syringae positam; 4) fortasse syringa dissolutionem calculi tentari posse. p. 442.

Mense iunio

2) *Obseruatio de bono effectu narcoticorum in violenta epilepsia, cum maniae et hydrophobiae periculo coniuncta*, a Cl. BRIEU. Militi, epilepsia vehementissima affecto, vinum emeticum dedit, quo copiosa p. 512.

bilis euacuabatur, deinde, cum ex aegri abſtinentia nimia hydrophobiam metueret, emulſionem cum laudano liquido per octo dies adhibuit, et aeger ſanitatem recuperauit. Alii, per duos dies omnia alimenta reſpuenti, dedit lac vaccinum, cuius vſu ſenſim aliorum ciborum appetitus reuocatus eſt. Putat igitur, analogiam eſſe epilepſiae bilioſae et hydrophobiae ſpontaneae, cum vtraque pendeat a bile nimis copioſa et acri, quae vehementiſſimis euacuantibus ſubducenda ſit, et relictae partis vis refrigerantibus et narcoticis frangatur.

p. 516. 3) *Obſeruatio de paralyſi veſicae, quam iniectiones aquarum Amelouenſium in Languedocia curarunt*, a Cl. MAZARS DE CAZELES. Septuagenarius a potu ſpirituoſorum ſtatim retentionem vrinae ſenſit per tres dies, et pluribus fruſtra tentatis vrina ſpecilli ope educta eſt; acceſſit poſtea paralyſis veſicae, quam iniectis aquis puris Amelouenſibus ſenſim vicit.

p. 528. 4) *Commentarius de cataracta congenita*, Auctore Cl. DAVIEL. Huius frequentis mali operatio viginti ſemel ſuſcepta eſt ab Auctore, qui ſemper inuenit lentem mollem, membranis ſpiſſis circumdatam, quae tamen facile rumpuntur. Signa, quibus cataracta congenita diſtinguitur ab alio genere, haec ſunt; eiuſmodi oculi perpetuo rotantur, nec ipſum obiectum, nec colorem diſcernere poſſunt, ſed vmbram aliquam rei, quam tactu explorant; oculi ſaepe ſua ſponte clauduntur. Eiuſmodi cataractae, quae vt plurimum anteriori parti iridis et pupillae, ſaepe non perfectae, adhaerent, ſemper albae ſunt, et inaequali ſuperficie anteriori. Prognoſis melior eſt, quam in alia cataracta, cum, ob mollitiem maiorem, pupillae et iridi in tranſitu minus noceat. Motus perpetuus oculi poſt cataractae depreſſionem vel extractionem magis naturalis redditur.

ditur. Adſpectu colorum viuidorum hi aegri hilares fiunt, triſtes per obſcuros, obiecta rotunda confundunt cum quadratis, quae tactu diſcernere coacti ſunt. Organon tactus igitur certum eſt, viſus vero incertum, quod quatuor obſeruationibus hic oſtenditur. In puero enim ſeptenni duas cataractas congenitas, quae in quatuor ſe diuidebant partes, depreſſit, quamquam in primo conamine a ſanguine impediebatur, qui ex vtraque iride, ob motum perpetuum ab acu laeſa, emanabat, et puer, niſi tactu adiutus, nulla obiecta cognouit, et ſemper, ſi manu quid prehenſit, hanc dimidio pede altius tenuit. Nunquam igitur diſtantias recte cognoſcunt. Alius deinde, octodecim annorum, a pueritia coeci, cataractam vnius oculi, quae ſimili modo in quatuor partes molles ſe diuidebat, depreſſit, et alterius oculi cataracta minus reſtitit, cum tantum humorem lacteum conſtitueret, qui ad fundum camerae poſterioris praecipitabatur. Hic iuuenis ſimili difficultate, nec niſi tactu adiutus, obiecta diſcernere potuit.

5) *Obſeruatio de ſcroto a gangraena plane deſtructo, et regenerato*, a Cl. LERAULT. Corticis peruuiani vſus ſeparationem produxit, ſenſimque appendices ſcroti relictae prolongatae ſunt, et nouum ſcrotum, ſutura et pilis inſtructum, intra duos menſes oriebatur. p. 545.

6) *Obſeruatio de duobus condylomatibus venereis palmae manus magnitudine*, a Cl. MAURAN. In foemina, variis morbis venereis affecta, malum ſubito et ſua ſponte ceſſauit; poſt ſex menſes ſenſim et intra menſis ſpatium maſſa carnoſa et doloroſa, palmae magnitudine, in vtroque ani latere creuit. Exſtirpauit itaque Cl. Auctor ſcalpello vtramque maſſam circulari inciſione ſimul cum radicibus, ſphincterem inteſtini recti, quantum fieri potuit, conſeruauit, p. 549.

et fungo vulgari (*amadou*) haemorrhagiam ſedauit, tandem frictionibus mercurialibus vulneris cicatricem effecit. Pondus condylomatis primi erat nouem vnciarum, alterius vndecim.

p. 552. 7) *Obſeruatio de effectu proſpero aceti contra cupri vires triſtes*, a Cl. FABAS. Ab eſu ouorum, cum acetoſa et butyro in vaſe cupreo praeparatorum, quatuor homines vomitu continuo, ſpaſmis extremitatum, motibus conuulſiuis et ventris doloribus angebantur, ſumſerunt acetum, ſenſerunt efferuescentiam in ventriculo, vomuerunt et ſymptomata ſedabantur. Deinde exhibuit Cl. Auctor oleum et clyſmata emollientia. Periit ancilla, quae acetum repudiarat.

p. 554. 8) *Epiſtola* ad Cl. POUTEAU a Cl. LE CAT, quae docet, inoculationem non magis praecauere recidiuam, quam variolas ſpontaneas. Anno 1732 Pariſiis Canonicus cum quatuor fratribus inoculatus eſt; ipſe non inde variolis affectus eſt, eo magis autem fratres, quorum minimus tum quadriennis anno 1761 variolis naturalibus mortuus eſt.

XI.

Elementa Phyſiologiae corporis humani, Auctore ALBERTO V. HALLER etc. Tomus ſextus. Deglutitio. Ventriculus. Omenta. Lien. Pancreas. Hepar. Bernae, ſumptibus ſocietatis typographicae. 1764. 4. Alph. 3. Pl. 13. Tabb. aen. 3.

Egregium hoc nec vnquam ſatis laudandum opus menſe februario anni 1764 abſolutum et ad prelum paratum eſſe, ex praefatione huic tomo praemiſſa laeti vidimus. Varia ſunt, quae ſui cauſſa in hoc praefa-

praefamine enarrat Ill. Auctor, inprimis autem, vt Noſter, vtpote Auctor, qui ſua cum alienis comparauit, a collectore, cui nihil proprium eſt, ſepararetur, enumerationem eorum, quae aut nouitec ab ipſo viſa et in anatomen vel phyſiologiam introducta ſunt, aut poſt breuiora priorum ſcriptorum indicia minutius elaborata, aut poſt dubias et labantes opiniones per experimenta conſtituta ſunt, ſtatim apposuit et huic tomo praemiſit. Conſtat ſextus hic tomus ex libris ſex: primus eorum, ordine decimus octauus, cibi iter in ventriculum, decimus nonus ventriculum, vigeſimus velamenta abdominis, vigeſimus primus lienem, vigeſimus ſecundus pancreas et vigeſimus tertius hepar et bilem conſiderat.

A manducatione incipit Noſter, atque vt ſubactio cibi in ore clare pateſcat, maxillae ſuperioris et inferioris huiusque articulationis hiſtoria traditur, dein ligamenta eius articulationis et motus maxillae inferioris huiusque motus inſtrumenta, muſculi nimirum, conſiderantur. Sequitur dentium contemplatio: hos vniuerſis fere animalibus, non ſolum quadrupedibus et piſcibus, ſed auibus etiam, quarum roſtrum dentium locum tenet, et inſectis natura dedit, et ſic dentium imperium latius quam cordis eſſe, Noſter autumat. Dentibus conſideratis muſculi deſcribuntur, qui buccas gubernant; tandem ipſa manducatio exponitur, quae muſculorum et dentium ope perficitur. Hanc commolitionem maximi ad ſubigendos cibos momenti eſſe, et magno cum damno in digeſtione manducationem intermitti, contra ſola manducatione diuturnas cardialgias ſuperatas fuiſſe, et ex parciore cibi copia, eo diligentius verum manducato, poſſe ſatis viriúm alentium extrahi, Ill. Auctor notat. Sed non ſolius commolitionis haec laus eſt; magna enim pars ad ſaliuam, cum exhalante humore et aliquo p. 1.

muco

muco miſtam pertinet, cum qua cibus ſubigitur. Praecipuus ſaliuae fons eſt parotis; dant quoque eam glandula maxillaris et ſublingualis aliaeque minores, buccales et labiales, quae per ſuos ductus excretorios humorem in os effundunt. Glanduloſo hoc humore ſubtilior eſt alter vaſculoſus, qui ex vniuerſo ore vaporis ad modum exhalat, ex lingua, bucca, gingiuis, labiis, palato, vel in aquulam cogitur. Hic in febribus deficere videtur, quando os cum ingratiſſimo ſenſu ſqualet, neque in hoc caſu ſaliuales glandulae in officio ceſſare videntur. Mucus etiam linguae, ex folliculis ſimplicibus abunde natus, cum ſaliua ſe miſcet, et ſic ex diuerſis his humoribus, potiſſimum ex glanduloſo humore tum ex vapore exhalante componitur ſaliua, quae ab ore ſani hominis nunquam abeſt, quam aut deglutire aut exſpuere cogimur. Saliua humor aquoſus eſt, aliquanto tamen viſcidus, inſipidus, nullo acore praeditus; occultum quidem parcumque acorem in eo, vt in ſanguine, eſſe, eum tamen nec dominari nec ex eo ſaliuae vtilitatem pendere, Auctor perhibet. Neque etiam lixiuioſa eſt ſaliua, eademque deſtillata aquam inſipidam copioſam, exiguum momentum, ſpiritus, lixiuioſae indolis, oleique empyreumatici, tum ſalem fixum, partim de lixiuioſa natura partim teſſellatum, denique terram exhibet, quae calcarea alia, alia lamellata eſt, eique ſimilis, quae ſelenitica dicitur. A terreo hoc elemento tartaream cruſtam in dentibus et calculos in ductu Whartoniano naſci, Ill. Auctor putat.

Cauſſa motus in hoc humore eadem eſt, quae in omnibus corporis humani humoribus, quos vis perpetuo ſuccedentis de corde in minima vaſa ſanguinis ad deſtinatos fines vrget, excitatur tamen quoque tum a preſſione mechanica ope muſculorum, quibus ad manducandum vtimur, tum etiam a cupi-

cupidine, atque ſaliuam ad odorem, ad conſpectum, denique ad viuidam ideam grati ferculi proiici, hancque cauſſam ad occultam illam glandularum omnium irritabilitatem, quam in experimentis non poſſimus imitari, pertinere, Noſter aſſerit. Copia ſaliuae accurate definiri non poteſt, cum ab infinitis cauſſis ea copia aut augeatur aut minuatur. Sic ab aliis ſecretionibus repercuſſis augetur, minuitur contra ab aucta quacunque alia ſecretione; hoc tamen dicendum eſt, magnum eſſe ſaliuae profluuium. Vtilitas ſaliuae duplex eſt; partim ea in ventriculum venit, partim cum cibo morſo et manducato in ore ſubigitur, et cibum iam pene diſſolutum ventriculo tradit; ideoque ſumma eius aeſtimatur neceſſitas: partem tamen huius humoris in ore reſorberi et in venas reſumi, vis refocillans a pane cum vino manducato, inebriatio a vino in ore contento aliaque probant.

Cibus in ore praeparatus potusque ibidem re- p. 63.
ceptus multa et compoſita vi muſculorum, operoſe hic deſcriptorum, in pharyngem pellitur, ab ea recipitur, et in gulam deſcendit nec ſimplici ponderis potentia ſed muſculorum ope ad ventriculum ducitur. Canalis hic cibarius in omnibus animalibus reperitur, et eſt primarius character, quo a vegetabilibus diſtinguuntur. In aliis ſimplex, multiplex in aliis eſt, homini tamen vnicus ſedem tenet perpetuam; figura non facilis eſt dictu, in vniuerſum tamen conica, cuius omnes ſectiones circuli ſint. Eadem in vniuerſum ventriculi, quae gulae, inteſtinorum et veſicae vrinariae fabrica eſt; membranae verae quatuor, extima; muſculoſa; nerueа; villoſa; celluloſae telae tres, quae earum tunicarum interualla replent. Prima et extima ventriculi tunica maximam eiuſdem partem contegens a peritonaeo eſt, ſequitur tela celluloſa prima, in qua

praeci-

praecipui rami neruorum octaui paris et rete trunc corum vaſorum reperitur. In conſpectum tunc veniunt fibrae muſculoſae, difficulter a membrana externa expediendae, quae in homine aeque ac animalibus quadrupedibus fere eaedem ſunt, in equo valde ſimiles, plerumque robuſtiores, in nonnullis tamen animalibus debiles, in ruminantibus validae. Sequitur tela celluloſa ſecunda, priore multo laxior; in hac pleraque vaſa ventriculi ſparguntur et numeroſiſſima, atque in eandem et in intimam exhalat vapor, qui in morbis frequenter cum celluloſis laminis conferuet et in viſcidam primo, deinde duram, calloſam et cartilagineam abit. Sub hac reperitur neruea tunica, quae vera ventriculi et inteſtinorum baſis eſt, ſub hac vero eſt tela celluloſa tertia, quae potiſſimum ſedes eſt praecipua inflammationis. Vltima tunica villoſa epidermidi manifeſto continua eſt, quae et decedit et reparatur, quaeque vt cutem vulgaris epidermis, ita nerueam oblinit et defendit. Haec tunica amplior eſt eis membranis, quibus extus circumpoſitis interior coercetur, et haec amplitudo inſumitur in plicas et iuga eminentia, quae in cauum ventriculi eminent. Dictae rugae in ventriculo ſuper modum diſtento euaneſcunt, et in his multo minores aliae vermiculares rugae, reticulatae quaſi adparent, denique villi in cauum ventriculi producti cernuntur, quorum natura ea eſt, vt per eos et arteriae et venae in caueam ventriculi patulis oſtiolis aperiantur. Papillae in homine certa fide nondum innotuerunt. Glandulas Noſter ſemel tantum aut bis vidit, de cryptarum genere, ſimplices, rotundas, lenticulares, membranaceas, cauas, breui ductu per villoſam productas; quas, licet ſemper oſtendi nequeant, reiici tamen non poſſe, autumat. Succus ventriculi, licet interdum acidus vel putridus vel amarus reperiatur, ex muco tamen

et

et aqua componi et ad naturam alcalinam vergere videtur. Hunc ſuccum generant arteriae, quarum plurimae in ventriculo ex coeliaca arteria naſcuntur. Venarum trunci in vniuerſum arterioſorum ſocii ſunt. Nerui numeroſi, a pari vago potiſſimum nati; hinc acris ventriculi interni ſenſus eſt, vehementior potius quam inteſtinorum; acrius etiam quam cutis nuda aut lingua ventriculus ſentit, ita, vt ab acribus, aut potu frigido aut cibo, ventriculum inflante, aut a potu poſt magnam ſitim largiori ſubitae mortes ſequantur. Si autem ad arſenicum aliaue venena ferenda longa conſuetudo hominem aptum reddidit, villoſam tunicam ab acribus criſpatam et inſenſilem redditam eſſe, Noſter arbitratur. Lymphatica vaſa in arcu minori Ill. Auctor vidit quam maxima, alba autem in ventriculo vaſa nuperorum anatomicorum induſtriam non reperiſſe, monet. Inorganicos demum, vt in aliis corporibus, ita in neruea ventriculi et in peritonaeo poros eſſe, quos aqua penetrare poſſit, per eos autem num in viuo animali humor vere penetret, dubitari poſſe, Noſter cenſet.

In ventriculo ſedes famis eſt et ſitis. Prima cibum p. 164.
ſumendi neceſſitas eſt, vt materies humorum humanorum et partium firmarum hincque vires reſtituantur. Celerior eſt altera neceſſitas, ne ſcilicet ſanguis et omnes humores humani, ex ſua indole ad ſalis vrinoſi naturam procliues, ſibi relicti putreſcant, acres fiant et ad vitam alendam minus idonei. Pereunt enim cibo deſtituti homines et animalia; quaedam citius, quaedam ſerius, ita ſaepe, vt per longum tempus abſque cibo vixiſſe dicantur, antequam mortem ſubierint. Cum praeterea per omnia organa excretoria continuo decedat aqueus humor, peculiaris aquae neceſſitas ſitim ſeu bibendi appetitum fecit, ne ſanguis, aqua ſua priuatus, denſetur ſibique relictus coga-

cogatur. Sunt quidem animalia, quae non bibunt, primo carniuora, quae raptu viuunt; aliqua deinde ob peculiares aliquas cauſſas diu abſtinent potu, vt cameli et dromedarii, iique propter aquae penuriam, quam in ventriculi profundis cellulis circumferunt. Natura ſitis in ſiccitate eſt, quam humor naturalis in lingua, ore, palato, faucibus, oeſophago, ventriculo non contemperat, neque remittit ſenſus ingratiſſimus, niſi aquae in ſanguine reparetur abundantia, et pereunt animalia a ſiti per putredinem humorum et febrem acutiſſimam. Licet autem aqua ſimplex ſanginem diluat, fibras humectet et acrimoniam omnem ſubigat, ad reparandam tamen lympham ſanguinis coagulabilem fibrasque ſtruendas non ſufficit; hinc fames, alter vitae cuſtos, addita eſt, quae eſculenta imperet, in quibus farina, oleum, gelatina maiori copia contineantur, poſſintque noua elementa et fluidis partibus ſufficere et ſolidis. Famem vrgent et excitant robur corporis, vermes, acida, neruorum ſenſibilitas maior, denique ignota conditio, quae facit, vt homines aliqui ſuper reliquorum mores in fame, in copia ciborum, in ſuperandis demum abſurdis et difficillimis cibis excelluerint. Videtur autem proxima famis cauſſa tractus eſſe, quando ventriculi neruoſa iuga tenui villoſa cruſta obducta et in ventriculum pendula, ſuper ſe inuicem confricantur; ſuccum gaſtricum autem, quoties per moram factus ſit acrior, appetitum potius delere quam excitare, Noſter autumat. Auſerunt famem cibus et omnia, quae ventriculum diſtendunt et naſcituram in neruis famis ſenſationem impediunt vel natam intercipiunt. Tollit demum famem putredinoſum omne, ſiue in cibo fuerit ingeſtum ſiue intus ab vlcere aliquo, aut ab hepate corrupto inſpiratum.

Ad

Ad cibum potumque transit Ill. Auctor, fidisque p. 188.
satis naturae ducibus, fami nempe et siti, auscultandum esse, monet, atque adeo fidelem esse horum desideriorum vocem dicit, vt etiam speciem cibi potusque omnino aptissime distinguant. Homo a Nostro omniuorus nuncupatur, eiusque inter carnivora animalia et herbiuora mediam esse fabricam, et de vtraque habere dicit, vt tamen aliquanto proprius ad herbiuora accedat. Differre dicuntur hae classes ventriculo, dentibus, intestinis et potissimum coeco intestino. In aliis interim animalibus, certe plerisque, aliqua in victu variando libertas est. Sic inter manifesta herbiuora, vaccae, oves, equi discunt piscibus viuere. Contra canis et felis, carniuora, discunt pane vti aliisque vegetabilibus. Sed haec minus absona videri debere, Noster monet, cum non adeo magnum inter succos animales et vegetabiles discrimen sit. Est quidem in plantis aliquanto pronior ad acidum natura, ad vinosum in animalibus; omnibus tamen comparatis, statuit Noster, proprie solam gelatinam nutrire, atque gelatinam non in sola animalium lympha, sed in farina pariter vegetabilium habitare, duplicemque in farina reperiri materiem, alteram amylaceam, alteram glutinosam; illam vegetabilis naturae tenaciorem acidum elementum continere et cum aqua vinosam naturam induere, hanc autem glutinosam ad animalem indolem accedere et ad cadaueris modum putrescere. Cibus vegetabilis, vt historia tradit, primus fuisse videtur, et quidem ab arboribus repetitus; dein radices in vsum receperunt homines; aliquanto vltra prouecti in artibus farinosis seminibus, tum lacte et ex hoc parato caseo et butyro vsi sunt; et ostendunt primaeuae historiae, diu et per aliquot secula vegetabili cibo solo et lacte homines contentos fuisse. Fuit enim satis

virium alibilium in vegetabilibus, vt homo vitam ſuſtentaret. Licet autem ſalubris vtique ſit victus excarnis, viribus tamen maioribus eget et longioris vitae labore, vt aceſcens farina in glutinis alcalescentis naturam tranſeat; atque haec cauſſa eſt, quare vegetabiles cibi minus nutriant minusque dent roboris. Cum enim inter plantas ſuccosque humanos minor quam inter eoſdem ſuccos et animalia ſimilitudo ſit, et plantae pleraeque aceſcant, et tamen acidum hanc naturam vincere oporteat, ad carnes ventum eſt. Inter animalia piſces primi in cibum recepti eſſe videntur. Piſcium enim naturam inter vegetabilia et animalia ambigere, eorumque gelatinam, cum aquoſa ſit et tenuior, minus ſanguinis rubri facere minusque roboris dare, quam carnes, Noſter autumat. Quo tempore carnium vſus inter homines inualuerit, incertum eſt; poſſit tamen credi, a diluuio primordia eius mutationis eſſe repetenda, cum arbores fructiferae nondum ita conualuiſſent, vt cibi eſſet ſatis. Praecipua vtilium carnium penus eſt ex animalibus herbiuoris, quorum lac mite, vrinaeque et faecum modicus foetor, caro ipſa neque praedura eſt neque foetida, et multum habet gelatinae, potiſſimum iunior; carnium autem quadrupeda parcius in menſas hominum recipiuntur. Atque nullum dubium eſt, in carne alimenti eſſe plurimum, quae ſuccos contineat, noſtrorum ſimillimos. Gelatina enim in vituli fibris nihil fere differt a lympha ſanguinis humani; parum ab adipe adeps; lac a lacte pene nihil. Vt igitur in humanos humores animalium ſucci tranſeant, pene ſola extractione opus eſt, deinde transfuſione; et firmior eſt gelatina et denſior, quae ex quadrupedum carne cogitur, minusque aquoſa ſunt ea omnia, quae ex animalibus prodeunt; hinc robur maius eſt ab eo alimento. Robur enim pendet ab eo repe-

rato

rato, quod est amissum, et a copia rubrorum globulorum, et a tenacitate glutinis fibrarum. Praeterea dudum est adnotatum, eas gentes robustissimas esse, quae carnibus et iis crudis viuunt, vt Tartaros, Brasilianos etc. sed sua etiam habet incommoda victus carneus. Quoties enim sal abundat, acris iam et fluida fit gelatina et naturam adhaerentem amittit. Hinc intelligitur, merum victum animalem non praestare eiusmodi alimentum, quale ad nutritionem optimum sit. Nimiam enim habet salis urinosi portionem; hinc foetidi fiunt humores et nascitur putredo. Cum itaque sola vegetabilia debilitent et sola animalia putrefaciant, vtrumque victum oportet commiscere, vt vires a carnibus suppeditentur, et putredo per vegetabilem victum auertatur, ita tamen, vt aliquantum praeponderet vegetabilis, sub coenam etiam magis, quia nocte minus recte digeritur, atque adeo maior putredinis metus est. Ex minerali regno nihil sibi sumit homo praeter aquam, si eo placet referre, et salem. Licet autem ferrum certo in sanguinem veniat, et ad rubros globulos constituendos conferat, nulla tamen in hoc metallo saporis gratia est, quae faciat, vt admittatur; nulla in dentibus vis, qua subigatur; nihil etiam glutinosi, quod adhaerescat: vt omnino in partibus firmis vix vllum reperiatur; sed id ferrum mistum aquis, mistum plantarum succis et solutum in sanguinem venit. Sale communi tanquam praecipuo condimento vtuntur homines, quo et carnes suas a putredine seruant, et recentes etiam, alioquin fatuas, cum valetudinis compendio reddunt sapidiores. Cum autem ab acore solo, quo terra salis marini impraegnatur, vis sit et ad condendum efficacia, sal acore isto per ignem orbatus non probatur, hinc sal marinus, acore quippe non priuatus, optimus censetur. Cum ab

acore vis condimenti exſpectetur, acida puriora ea laude valent; hinc dudum acetum, tanquam puriorem ſuccum, acidum et guſtu gratiorem adhibuerunt. Idque omnino ſalubre et condimenti genus eſt et denique potus. Sacchari in condiendo vires inſignes ſunt; carnes enim conſeruat fortius et tutius quam ſal marinus; cum vero carnium ſaporem in fatuum mutet, eo fine non adhibetur. Mel fere ad ea valet, ad quae ſaccharum. Butyrum ſolo ſcopo putredinis auertendae carnibus circumfuſum vtique inſeruire poteſt, ſed eius vis eſt in aere arcendo et inſectis auertendis; atque cum facile concreſcat, ſaporem corrumpit. Acidus fumus ligni carnes conſeruat, redditque ſaporem non ingratum, tantum vt duriores fiant, et in ventriculo facile haereant.

p. 225. In potu maior eſt quam in cibo ſimplicitas; ſimplicior aqua pluuia eſt, ex qua fontanas, fluuiatiles, lacuſtres et marinas aquas oriri, Noſter credit. Aqua itaque pluuia et ros primigeniae dicuntur aquae, ſunt etiam leuiſſimae, impurae tamen, cum in vtrisque exhalantes de plantis et de animalibus contineantur humores. Nulla autem aqua ad vſus humanos aptior deprehenditur, niſi ea, quae de pluuia per terram arenoſam, quarzoſam, in aqua certe non ſolubilem, purasque rupes tanquam per colum deſtillans, profluit cryſtallina, leuiſſima, eſt aliquanto tamen, quam pluuia, grauior, a pluuia non mutabilis, non putreſcens facile, ſitim facillime ſedans, et ſpiritu quaſi aliquo linguae placitura. Fluuiatiles aquae ſcaturiginibus deteriores et admodum putreſcibiles ſunt. Putealis aqua magnam terrae et elementi peregrini copiam continet, et ſemper omnium deterrima viſa eſt, inprimis in regionibus planioribus. Continentur in omni aqua ignis et aer, interdum fixus, interdum elaſticus; proximum elemen-

lementum aquae immiſtum terra eſt, varii generis, terdum calcarea, interdum argillacea, in aliis ſpacea. Inſunt etiam ſales, varii generis, maxime arinus, qui a paucis abeſt, dein nitrum, tum ni-um calcareum, ſali Glauberiano analogum, porro iuioſi ſales, etiam volatiles, demum acidum et triolum et cuprum et bituminoſi quid, ſulphur, rum et alia. Aqua omnibus plantis et animalibus terreſtribus a natura pro potu deſtinata eſt, et da quidem et frigens; abſurdum itaque eſt, bo-aquam coctione reddere deteriorem. Videntur im leuiſſimae et penetrabiles maxime atque lin-ae placiturae partes continuo auolare, quando em ſenſerunt. A decoctione aquae, ob purita-ſuſcepta, calidus potus ortum traxiſſe videtur. ed periculoſae ſunt deliciae: debilitant enim et vires ventriculi et appetitum frangunt. Vinum vel ex voluptate vel ex neceſſitate introductum eſt; homines enim potum aliquem quaeſiuerunt, qui ſpiritus excitaret, alacritatem redderet, inebriaret et breue letumque delirium produceret. Eſt autem omni vino commune, calefacere, vires ingenii et corporis augere, incitare pulſum, deinde adfectus animi praecipitare, inebriare, ſopire, fibramque animalem habitico vſu confirmare, maiori hebetare et debilitare; omne autem vinum medicamentum eſt, non potus. Cum homines per nouum orbem ſe diffunderent, in regiones delati, viti generandae parum idoneas, aliquid quaeſiuerunt, quod deſiderium eius humoris leniret; inde cereuiſiam inuenerunt, quae id commodum habet, quod diminuta ſola copia hordei et aquae momento auctо debiliſſima fieri poſſit. Quae ex lupulo amarorem concepit, creditur calculo et podagrae reſiſtere, et ſi meraca fuerit, habetur pro cibo pene potuque vehementer et conſtantius analeptico, quam quidem vinum. Accuſant

aeris in viſcore incluſi copiam; et bona etiam cerevisia artificiosis potius quam naturalibus potus generibus accenſeri debet. Acetum, et ex vino et ex cereuiſia iterata fermentatione ortum, ſanguinem refrigerat, non cogit, ſed nigro triſtique colore foedaturum. Putredini, aduerſatur, et cardiaci quid habet atque ſtimulantis; meracus tamen aceti acor a ventriculo male fertur. Spiritus vini, ſiue medicamentum ſiue venenum, num inter potus ſpecies referri poſſit, dubia res eſt; ille vero eſt mercior pars vini, ex omni materia, quae vinum dat, paranda; aqua eſt, occulto acore et plurimo phlogiſto ebria; minori doſi quam vinum temulentiam facit et vehementiorem et facilius funeſtam; vehementiſſime calefacit et ſanguinem in cerebrum congregat, breuem alacritatem excitat, quam ſopor et miſerrimus corporis animique ſtatus ſequitur. Fibras animales ad contractionem incitat, calloſas reddit atque fragiles, et ad omnem porro ſtimulum ſurdas; vaſa omnia anguſtat, humores omnes praeter aqueos cogit, genus neruoſum male afficit et plura alia mala producit, nec vnquam ciborum coctionem adiuuat. Cibi et potus iuſtam menſuram ad integritatem vitae et ad cibi ſalubrem coctionem magis facere, quam ipſum ſelectum, etiam deteriores cibos facile ſubigi, dum exigua eorum copia ſit, Noſter autumat. Licet autem magis in cibo quam in potu, quoad copiam errores committantur, nimius tamen potus, etiam ſaluberrimus, nocet: ventriculum enim diſtendit et relaxat, appetitum deſtruit, et dum aliquando ſubito in celluloſas telas tranſit, cachexias et hydropes efficit. Tempora denique cibi partiri praeſtat, neque vnico prandio vitam ſuſtentare, ita nimirum, vt ad quemcunque paſtum exigua ſit ventriculi diſtentio, vires conſtringentes fortiores, et maior humorum humanorum

copia.

copia. Largius autem prandium, coenam parcam et excarnem esse conuenit, cum per somnum intestinorum et ventriculi motus peristalticus minor sit, ad excernenda excrementa stimulus deficiat, et tardius appetitus redeat, viresque adeo coquentes labascant.

His de ventriculo, cibo potuque praemissis, p. 258. causas nunc, quae ad mutandum cibum et potum in viuo homine consentiunt, deinde mutationes, quae in cibo, in ventriculum recepto, accidunt, tandem quid ad eum effectum producendum, et quaenam harum causarum conferat, Noster enarrat. Inter causas diaphragmatis vim ac musculorum abdominis enumerat, qua ventriculus vrgetur quam vehementissime, et pleni stomachi arcus anterior ad posteriorem adigitur, vt necesse sit, si aliquod ostium apertum fuerit inaniri ventriculum. Vis contractilis ventriculi in medio ventriculo euidentissima apparet, cuius ope integre euacuatur et persaepe inanis reperitur; eiusque contractio cum laxatione alterna est, ita, vt modo hic modo alibi constringatur, deinde laxetur, quae alternae vires saepe repetuntur. Vocatur hic motus ventriculi peristalticus, cuius directio deorsum siue ad duodenum est, ita tamen, vt reciprocatio aliqua locum habeat, quamdiu aliqua in ostio pylori est difficultas, quae cibum per pylorum prohibeat exire. Tempus, quo ventriculus euacuatur, non facile definiri potest. Paucum fluidumque cibum celeriter per duodenum inaniri adparet: lente, si figurae suae tenax, si coctioni ineptus, si acris fuerit, vt pylorum irritet sibique ostium praecludat. Contraria directio a pyloro orsa, atque versus oesophagum retrograda, motus antiperistalticus vocatur, qui in ructu, qui meri est aeris, vapore cibi inquinati, aut in regurgitatione aquae gastricae, aut cibi

nonnunquam acidi vel rancidi; in rumination porro, quae cibi eſt iterata manducatio, et denique in vomitu, in quo ventriculus contenta ſua omnia per gulam et os expellit, obſeruatur. Cauſſae vomitus, qui totus morboſus eſt, variae ſunt; ſimpliciſſima in ventriculo nimis pleno atque irritato eſt, ex quo vel ructus, ſi flatu plenus fuerit, vel cibus expellitur. Proxima cauſſa pene eadem eſt ventriculi in pyloro clauſi, alia a nimia irritatione, ſiue ſtimulus in ipſo ventriculo haereat, ſiue mechanica ſit, vt a trahente hernia, ſiue demum alius ſubtilior eſſe ſoleat, vt irritatio ſympathica a vulnere cerebri eſt. Licet vero vomitus cauſſa euidentiſſima in ventriculo ſit, plerumque tamen irritatio ibidem nata et ſenſus ſummae anxietatis, quae vomitum praecedunt, faciunt, vt ad leuandam aegrimoniam vires diaphragmatis et muſculorum abdominis excitatae, atque moleſtiam de homine amoliturae, vomitum perficiant. Hinc recte, vtrasque vires ventriculi et organorum reſpirationis ad vomitum neceſſarias eſſe Cll. Viri exiſtimarunt. Ruminatio eſt in animalibus cornigeris, quibus quatuor ſunt ventriculi. Cauſſa eius in altero ventriculo eſt, a quo peranguſtum iter ad tertium ducitur, et eminentia quadam alterius ventriculi obſtruitur. Hinc fluida quidem pars tranſit, ſiccus vero cibus, ob exitum difficilem fortemque vim primi ventriculi, inſigniter muſculoſi, atque ſecundi ſimiles vires, per oeſophagum expellitur et in os redit, quaſi naturali vomitu. In o iterum eructatus, altera, tertia et pluribus vicibus manducatur, deglutitur, vſque dum humore multo maceratus totus mollis ſit, atque per anguſtum iter in tertium ventriculum tranſire poſſit. Praeter cornigera alia etiam animalia, vt lepus etc. ruminant; id autem in his fieri ſolet, quoniam plures iis ſunt ventriculi cellulae, fretis diſtinctae, a quibus cibus,

dum

dum durior eſt, repellitur. *Qui homines*, inquit Noſter, *ruminaſſe dicuntur, iis oeſophagus (et puto ventriculus) muſculi modo carnoſus dicitur fuiſſe.* Aliae cauſſae coctionis ciborum ſunt calor vicinorum viſcerum, aer per os inter deglutiendum receptus, vapor de ventriculo exhalans et viciſſim in ventriculum receptus, ſaliua deglutita et ſuccus gaſtricus. Inter omnia animalia minimam copiam ſucci in ventriculo habent ea, quae carnibus aluntur, ruminantibus plus ſaliuae eſt, plus gaſtricarum glandularum. Piſcibus, quibus vix vllus oeſophagus et tenuis membranaceus eſt ventriculus, proprium organon natura dedit, quod ad alimentum in ventriculum verrimum ſuccum adfundit. Appendices ſunt coecae, inteſtinula nempe cylindrica, clauſo fine, fabrica faſciculoſa, plenae albo, ſalſo etiam ſatis vehementer ſucco et mucoſo, quem in pylori vicinium effundunt, vt eo alimentum, quod eſt in ventriculo aut per inteſtina deſcendit, irroretur. Non ſolum bilis, ſed etiam ſuccus pancreaticus, ſaepe in ventriculum redeunt. An fluidum nerueum admiſceatur, quaeritur, ſed *haec ita dicuntur*, ait Noſter, *vt refellere nequeas, ſtabilire vix poſſis.*

Mutationes, quas in ventriculo cibi ſubeunt, cum plures eodem tempore eueniant, determinatu ſunt difficiles. Dilutio certe et emollitio ante aceſcentiam tempus ſuum habent, et ſuccus de cibo extrahitur. Cibi recepti primo aceſcunt, ſiue ex vegetabili ſiue etiam animali regno ſumantur: eam enim carnium naturam eſſe, vt aceſcant, experimenta oſtendunt; in omnibus etiam carniuororum animalium piſciumque ventriculis veſtigia acidae naturae inuenta eſſe, obſeruationes tradunt. Inde autem declarari poteſt, cur metalla aliaque corpora a ventriculi liquore erodantur. Quae aceſcunt, ea ſibi permiſſa cum aere et calore fermentant, inteſtino p. 310.

nempe motu agitantur, quem tum aer atmoſphaericus generat, tum etiam magis aer internus expeditus; tunc enim aer oritur et vapor ſaepe inflammabilis, qui de cibo ventriculo recepto aſcendit. Licet autem et inflammabiles alui crepitus, et flamma et ſputum inflammabile interdum obſeruata ſint, ſunt tamen rara et ex morbo: in homine enim ſano principium fermentationis locum vix inuenit, quam in cibis vegetabilibus continuo multa vis adfluentis liquidi humani opprimit, et in carniuoris putredo conſequitur. Cum omnes humores animalium ad naturam putredinoſam vergant, et acidae naturae exigua veſtigia retineant, cibi acida degeneratio ita ſuperatur, vt in putredinoſam indolem vergat. Vera in hominis ventriculo putredo non occurrit, etſi forte in cibis diutius retentis et in animalibus, quae ſolis carnibus veſcuntur. Deinde certum eſt, maſſam ciborum, qui de ventriculo exeunt, vt abſque eminente aciditate, ita absque perfecta putredine eſſe. Vix vllus etiam ex putredine gaſtrica oritur calor, cum humor perpetuo adfuſus quidquam in ventriculo ſimile praeualere non ſinat. Quamuis autem in adipe et in oleis acor plurimus ſit, non tamen aceſcunt corrupta, ſed in ventriculo diu cruda manent, et plerumque in liquamen ſenſim contabeſcunt, ingratiſſimi ſaporis et odoris. Peracta digeſtione omnes cibi, panis, caro, fructus, lac, vinum etc. in vnam vniformem cineream, aut flauam, aequaliter mollem maſſam pultaceam mutantur, in qua figura et fabrica peculiaris deleta, dotes nimiae odoris, ſaporis, coloris, propriae ſpecies abolitae, durities ſubacta et vniformis mucoſa, mediocriter odorata, fatua natura ex omnibus contemperata eſt.

p. 327. Digeſtione conſiderata ſigillatim nunc oſtendit Noſter, quam partem eius mutationis quaeque cauſſarum,

rum, cibos mutantium, producat. Nullum animal absque plurimo humore cibum coquit, tritus a ciborum coctione abesse potest, et tamen cibus coqui, neque etiam mora in coquendo multo maior est tritu carentibus, quam in animalibus musculoso stomacho instructis. Macerans iste liquor, ex Cl. Auctoris sententia, fere solius ventriculi progenies est, et ab appendicum muco fit, cui in animalibus perfectioribus saliua accedit. Licet autem multum in ventriculo ad coquendos cibos succus possit, et acoris signa non rara sint, minime tamen fermenti nomine vti oportet, quod cibos in naturam animalem salubrem conuertat. Putredinis vero maior vis est. Ea enim omnia corpora animalia et vegetabilia in pultem redigit, glutine elementorum dissoluto. Haec tamen degeneratio absolute in ciborum coctione admitti nequit. Quae animalia iis viribus solis, hactenus enarratis, cibum coquunt, ea solis carnibus vescuntur. Cum autem plurima alia animalia seminibus, duro cortice tectis, etiam nucleis, osseo putamine defensis, viuant, addidit natura potentissimam vim tritus, cum maceratione coniunctam. Hinc graniuoris ventriculum durum dedit; pisciuoris et carniuoris omnino debilis ventriculus est, hinc tritus minor. Sunt etiam alia quaedam coctionis adiumenta, sine quibus cibi digeri possunt, sed quae addita reliquis caussis tamen coctionem ciborum adiuuant. Pertinet eo calor, quippe qui plurimum in soluendo glutine, gelatina diluenda, adipe emolliendo, macerante vi aquae augenda, initiis fermentationis et putredinis introducendis potest. Ciborum vero reliquiae inter auxilia coctionis non admittuntur, cum potius eam inhibeant Inter alias demum ventriculi functiones primaria est, alimenti partem de ventriculo resumere; hinc multi homines, cum omnia vomerent,

rent, diu tamen vitam tolerarunt. Tandem quaeritur, num anima ſedem habeat in ventriculo? Olim animae ſenſilem ſedem HELMONTIUS in cardia poſuit: licet vero, tenerum ſenſum numeroſiſſimorum in cardia neruorum eſſe, experientia docet, praecipuam tamen animae ſedem in capite, Noſter ponit.

p. 340. Ad velamenta abdominis tranſit Ill. Auctor, quae, vt fatetur, prius quam ventriculus deſcribenda fuiſſent, niſi Ipſi diſplicuiſſet, id cibi receptaculum ab oeſophago ſeparare. Membrana abdominis viſcera, certe chylopoietica, continens, peritonaeum dicitur; eius lamina exterior dicta et mera tela celluloſa, hinc duplicatura peritonaei non bene dicitur, et eadem eſt celluloſa tela, externa peritonaeo circumpoſita, in quam effuſa aqua ſaccatum hydropem facit. Nunquam in corpore humano peritonaeum ſiccum reperitur, ſed humet vndique viſcida, pingui, olente aquula, quae ex arteriis generatur vaporis ſpecie, et ex omnium viſcerum abdominis ſuperficie exhalat, non vero ex glandulis, quae nullae ſunt: vti vero is humor de arteriis exhalat, ſic in venas ſani corporis reſumitur, et libertatem viſcerum abdominalium et inter ſe et a peritonaeo conſeruat, vt cum ſumma facilitate, ſine frictione tamen moueri poſſint. Idem humor exſudans morboſe inſpiſſatur in albuminis, glutinis puriſue ſpeciem et fibroſam gelatinam. Ex eo etiam vario humore naſcuntur vitioſae adhaeſiones, quae ſatis frequenter viſcera abdominis aut inter ſe inuicem connectunt, aut ad peritonaeum. Ex peritonaei circumferentia in internam eius caueam numeroſae appendices exeunt, ligamenta dicta, de quibus omnia imi ventris viſcera ſuſpenduntur. Meſenterii fabrica eadem eſt, quae in vniuerſum peritonaeo: natura nempe ex celluloſa tela ſtipata eſt, abſque fibris,

fibris, vaſculis numeroſis picta ſed exiguis, nullis neruis conſpicuis, hinc ſenſu et motu caret. Deſcriptis poſthac omentis et vaſis et neruis, tandem partium harum, et primo peritonaei vtilitas exponitur. Continet enim illud ſuo in ſitu viſcera pleniſſimi abdominis, vt preſſionem circumpoſitarum earum muſcularium patiantur quidem, neque ideo de ſuo ſitu decedant. Deinde vapore ſuo interiecto viſcera et inter ſe ipſa et cum peritonaeo, alias continuo adhaeſura, ſolum libera ſeruat. Tandem internis ſuis ligamentis et proceſſibus omnia viſcera ſuo loco continet, ne vagari poſſint et in alienas ſedes de ſua vicinia abeant. Meſenterii vtilitas eſt, inteſtina mobilia ſeruare, et in ſede ſua continere. Omenti demum vtilitas eſt, viſcerum et inteſtinorum perpetuo mobilium ad peritonaeum motum a frictione liberum ſeruare, et adhaeſionem ſeu coalitionem inter ſe impedire, et ſanguinem venoſum, adipe reſorpto repletum, ad hepar ducere, vt ſit praecipuum futurae bilis elementum.

Lienem quadrupeda animalia calida habent: exſanguia non; in aliis ſimplex, in aliis numeroſi ſunt, numeroſi etiam nonnunquam in homine, nullum contra fuiſſe in animalibus et in homine, aliqua exſtant teſtimonia. Omnia in liene inconſtantia ſunt, figura vel maxime, tum in diuerſis animalibus, tum in ipſo eodem homine, neque etiam certior ſitus eſt vel in homine vel in animalibus, et magnitudo nihilo conſtantior, quam priores lienis qualitates. In homine ſano lien ſpongiae quandam habet naturam, quae plurimo ſanguine ebria eſt, color eius in foetu rubicundior, in adulto liuidus eſt, nonnunquam tamen et tunc floride rubet. Arterias habet et venas et neruos et vaſa lymphatica: ductum quidem excretorium nonnulli addiderunt, quem tamen recentiorum induſtria non confirmauit. Lien ſanguine p. 385.

guine valde plenus est et plus habet aquae, aliquanto plus salis volatilis, olei vero empyreumatici minus. Interior lienis fabrica cellulosa est; lien humanus spongiae similis est, adeo succulentus, vt elutis vasis et siccatis fere in nihilum abeat. Glandulas aliqui, vt MALPIGHIUS, in liene assumserunt, RUYSCHIUS vero praeter vasa et cellulosam fabricam nihil animaduertit, cuius ad sententiam, quae Noster vidit, omnino propius accedunt. Vtilitatem lienis in sanguinis praeparatione pro hepate consistere, et lienem in eo ministerio peculiare quid habere, quod in natura sanguinis et in motu atque in motus demum temporibus reperiatur, Ill. Auctor docet. Sanguinem, asserit, in liene fluidiorem esse quam fere in vllo viscere, et praeterea indole liriuiosa salina, oleum dissoluente vberiore imbutum. Caussam autem, cur sanguis peculiarem hanc naturam in liene induat, in maiori quam alibi luminis ramorum arteriosorum simul sumtorum ad totum viscus ratione inesse, hinc sanguinem lentescere, in venis potissimum retineri, stagnando acrimoniam concipere lixiuiosam, putat, idque eo magis, cum in loco calente lienis sanguis lentescat, et putridos adiacentis intestini coli habitus per poros inorganicos recipiat. De sanguine lienali monet, eum inani ventriculo per grandem arteriam in laxum viscus et molles venas magna copia irruere, idque distendere atque in liene copiosiorem manere, ventriculo vero cibis et inprimis aere distento lienem contra diaphragma vrgeri, inde quassari et inaniri, et sanguinem eius per venas ad hepar protrudi. An aliae vtilitates per morbos et per visceris excisionem erui possint, nondum liquide constat, de excisione autem notandum, motum sanguinis per hepar in aliis plus, minus in aliis passum esse, vtilitatem inde bilem et ciborum coctionem, hinc crudi-

tatem,

tatem, flatus et vrinae augmentum, male cibum co-
quentibus familiare. Aliae hypotheſes lubrico ni-
tuntur fundamento.

Pancreatis fabrica, vaſis, ductibus et neruis de- p.427.
ſcriptis, de ſucco eius agit, cuius naturam non facile
exponi poſſe putat, cum et ductus pancreaticus
plerumque vacuus reperiatur, et ab alieno humore
alias occupetur: ſaliuae tamen iſtum ſuccum ſimi-
lem eſſe, colore ſubalbido, ſapore ſubſalſo, etiam
inſipido aliisque proprietatibus, eius copiam non
exiguam eſſe et perpetuo fluere. Caeterum in pluri-
mis animalibus pancreas reperiri, et, quibus deſit,
iis certe appendices illas coecas locum tenere pan-
creatis, ideoque magnam eſſe huius viſceris vtilita-
tem et, cum cyſtica bilis plerorumque animalium
acerrima ſit et apprime viſcida, proptereaque vehe-
mentiſſime inteſtinum ad motum periſtalticum ſti-
mularet, non absque vomitus forte periculo, et ex
iſta parum commode cum cibo miſceretur, cum
viſcor repugnet, partem certe vtilitatis ſucci pan-
creatici eſſe diluere bilem cyſticam ac mitigare, et
ex illo beneficio bilis latius per inteſtina cibique
maſſam poſſe dilui, et cum maſſa ciborum melius
miſceri: inde autem acrimoniam temperari, quae
alioquin iter cibi praecipitaret, tandem a ſucco pan-
creatico cibariam maſſam dilui et diſſolui, vt a ſaliua
et ſucco ventriculi; aluum ſiccam homini fuiſſe,
cui ſcirrhus ductum pancreaticum comprimebat,
ſuccumque pancreaticum facere cum aliis ſaliualibus
ſuccis, ne vaſa lactea inania otientur et coaleſcant,
oſtendit Noſter.

Hepar late per animale regnum dominatur; et p.454.
in omnibus quadrupedibus, auibus et piſcibus repe-
ritur, neque paucis inſectis aliquid datum eſt, non
quidem totum ſimile hepatis, ſed cauum et cellulo-
ſum potius et ſimilius appendicum pyloricarum, a

Cll.

Cll. Viris tamen cum hepatis nomine descriptum. Hepar humanum simplex est, minus, quam in plerisque animalibus, diuisum. Animalibus quadrupedibus, quibus diuisi sunt pedes, plerisque etiam hepar in multos lobos diuiditur, sed etiam equo multilobum est et porco bisulco atque apro tayacu. In aliis aliter diuisum est; ex quibus omnibus nihil satis certi, aut alicuius in physiologia momenti deduci potest, cum neque cum alimenti genere propria hepatis fabrica coniungatur, neque cum classe animalis. Vasa hepatis adducentia sunt arteriae, vena umbilicalis et vena portarum, quae peculiaria quaedam habet: primo naturam arteriosam, vnde ad arterias ea relata fuit. Pariter enim, vt arteriae, summa luminum ramorum truncum longe superat, et pro hac ratione necesse est, vt sanguinis venae portarum motus tardetur. Sed etiam ideo magis probabiliter cum arteriis coniungitur, quod insigni robore omnes alias venas corporis humani et eo magis arterias vna vena portarum superet. Magnum etiam venae portarum priuilegium est, quod sola venarum omnium succum aliquem separet de sanguine. Quod ad naturam sanguinis attinet, quem ea vena ad hepar aduehit, credibile videtur, diuersum esse a sanguine aliarum venarum. Eae enim, vt ab vno viscere et vno membro sanguinem reuehunt, ita videntur vnius eiusdemque ingenii sanguinem continere: vena portarum autem a diuersissimis visceribus sanguinem reuehit. Hinc in sanguine venae portarum plus erit adipis, quam in vllo alio totius corporis cruore, secretioni destinato; erit in eodem sanguine multum putrescibilis et subalcalescentis vaporis. Vasa hepatis auehentia sunt vena cava, dein vasa lymphatica, quae et ab arteria et a vena portarum liquorem habent; tandem ductus bilarii, hepati prae aliis visceribus proprii, quorum natura pecu-

peculiaris est; exterior nempe membrana stricta sit ex tela cellulosa robusta et crassa, sequitur textus cellulosus laxus et inflabilis, tunc neruea tunica cum villosa superinducta. Musculosa fabrica obscura est; irritabilitas ad venena aliqua, ad ferri aciem nulla, neque certus motus. Valde dilatabilis est et ad magnam molem distenditur. Acriter demum sentire dicitur, ob dolores acerrimos, quos aegri patiuntur, quibus calculus bilarius maior per eum ductum ad intestinum migrat. Nerui numerosi satis ad hepar aduenium, coniuncti ex octauo pare et ex nerno magno sympathico. Membrana hepatis communis a peritonaeo est, de interiore facie, qua ad ipsum viscus respicit, cellulosa tela vndique efflorescit, in qua cellulositate corpuscula sedent, quae pro glandulis habita fuerunt. Cum omnibus visceribus commune sit, fasciculos vasculosos, sensim diminutos, ramosos, cellulosa tela obuolutos per eorum intima diuidi: omnia haec in hepate euidentiora sunt. Fundamentum cuiuslibet fasciculi praebet venae portarum ramus, et ductus bilarius adhaeret; circa eum arteriae ludunt et nerui: circumdat omnia reticulum cellulosum. Ex his vasis cum cellulosa tela fit peculiaris caro; hinc hepar firmius est, quam alia viscera et fero putrescit. Fasciculi illi vasorum, qui cum suis cellulosae telae vaginis hepatis lobos in maiores et minores lobulos diuidunt, vsque dum denique carnis hepatis minimae quasi insulae supersint, quas nullae porro conspicuae cellulosae lineae diuidunt, et quarum propria sua cellulosa cum suis vasis firmius cohaerent, quam cum cellulosa circumfusa, acini vocantur. Ad quemlibet talem acinum concurrunt ramus venae portarum, porus bilarius et ramus arteriae hepaticae; in his ipsis acinis venae a caua venas ad portas attingunt, et in iisdem humorum suorum inter vasa ve-

noſa, arterioſa et bilaria ſunt communicationes. Acinos nemo negat, ſed de interiore fabrica dubitatur. Eſſe glandulas dixerunt aliqui et inprimis MALPIGHIUS. Noſtro vero ſatis certum videtur, *illos animalium hexagonos acinos non elementum, ſed agmen elementorum fuiſſe, lobulum nempe hepatis, ex multis minoribus particulis compoſitum, ſola clauſum celluloſa tela. Quare etiam manifeſto et caret communi membrana, et flatum impulſum in celluloſa ſpatiola circumpoſita dimittit, vt ueſicas ſub externa membrana excitet.*

p. 519. Veſicula fellea non in omnibus animalibus reperitur; quaedam enim non aliam bilis habent officinam, quam hepar. Licet autem in multis et nonnullis adeo hominibus deeſſe dicatur, ſunt tamen, in quibus accuratiore facta inquiſitione adparuit. Potuit enim hepati immerſa veſicula latuiſſe, vel contracta et exigua, ductuque cyſtico non latior, aut denique conſumta fuiſſe. Ponitur receptaculum bilis in ſulco hepatis transuerſum retrorſum et ſiniſtrorſum; figura aliquid habet piriforme, eſt tamen, vbi omnino oualis aut praeter modum longa et gracilis, aut vbi finem coecum longum et acutum reflectit et pene bifurcatum habet. Magnitudo incerta eſt et per morbos augetur. Membranaceum et tunicatum hoc receptaculum eſt, in uniuerſum eiusdem cum aliis ſaccis in corpore humano fabricae. Extima membrana ab hepatis membrana externa naſcitur; intra hoc velamentum communis celluloſa tela laxa eſt; ſequitur, quam muſculoſam vocant; irritabilitas eſt eiusmodi, vt a venenis veſicula ſe contrahat, non ita ab aliis verioris notae irritationibus. Celluloſa altera vaſculoſa elegante reticulo arterioſo percurritur. Senſu ſat acri gaudere aliqua ſuadent. Neruea ſe habet, vt in inteſtino; tum tenerior celluloſa tertia et villoſa, ſemper vt

in

in inteſtino, pulchre reticulata. Folliculi glanduloſi non ſemper reperiuntur, attamen, cum aliquando adſint, poſſunt pro perpetuis haberi, qui in media parte veſiculae et circa ceruicem conſpicuis poris ſuccum rubrum effundunt. Arteriae hepaticae ramuli minores per vltimam celluloſam membranam diſtributi, etiam ſuccum tenuem in veſiculam exhalant, et viciſſim venae portarum radiculae aliquid ab ea veſicula ſorbent. Pori etiam inorganici frequentes ſunt, vt bilis per integram veſiculam perſpirans colon late tingat. Ex veſicula fellis ductus excretorius exit, qui cum ductu hepatico conuenit, ſerius aliquando, demum in ſinu duodeni. Fabrica huius ductus in vniuerſum eadem eſt, quae veſiculae. Nullum autem animal veſiculam absque hepate natum eſt, nullum etiam, cui veſicula ab hepate libera ſit et diſtans. In nonnullis enim animalibus ex hepate ductus in cyſtidem immittuntur; licet idem in permultis animalibus negari nequeant, in humano tamen hepate alia via, quam per ductum cyſticum, bilem ex hepate in veſiculam veniſſe, Noſter nunquam vidit.

Humor, qui vel in veſicula bilaria continetur, p. 542.
vel in vaſis illis de hepate ad duodenum patentibus, bilis vocatur, alia cyſtica, alia hepatica; hanc mitem, illam amariorem dicunt. Collectae tamen obſeruationes oſtendunt, in hepate quidem bilem minus amaram eſſe, poſſe tamen per moram ſolam in robuſto animale et denique in ſano homine amarescere, et dotes conſequi, quae ſunt in cyſtica bile; contra bilem quidem cyſticam in ſano et adulto homine amaram, neque tamen hunc ſaporem ei proprium eſſe, cum ad cyſticam fetus bilem nondum quidem acceſſerit. Bilis indoles propria viſcor eſt, quae viſciditas tum per aetatem, nam bubula vitulina viſcidior eſt, tum per morbos augetur.

Quadrupedibus adultis et homini bilis ſam
eſt, non acida, et per morbos ſit inſipida. Co
eius in plerisque animalibus viridis eſt, in
obſcurior et flauedine plurima commixtus; in
bis pene ad nigredinem accedit. Cum amaro
viſcedine intenſior color coniungitur; aquoſ
ſipida expalleſcit. Exhalans portio bilis
odore eſt fatuo, fere inciſi abdominis: in
lis animalibus acrior. Bilis primo recens
cum aqua, cum oleo difficilius, miſcetur
tertrita; cum aqua ſubacta vires gerit ſaponis
uit oleum, vt aquae miſceatur; humores
dicitur fundere; hinc remedium praebet
tum internum tum externum, ſed etiam
acrimonia in calidiſſimis regionibus in
abit, vt v. g. ex piſce *Guamajacuatinga* apud
ros inter ſumma venena habeatur; cum ſyrupo
larum vireſcit; ab acidis ſalibus ſiccis et acidis
ralibus coagulatur; coit etiam cum ſpiritu vini,
biliter tamen; ab acidis liquoribus
parum mutatur, neque putredo bilis
acore impeditur; a ſalibus mediis aut
parum, neque etiam a fixis ſalibus mutatur
rior potius ſit et flauedo intenditur; cum
alcalinis volatilibus diluitur et commode
colore intenditur; ſibi relicta putreſcit,
et odorem moſchi induit; putredinem
terra abſorbens; ſapor cum putredine
Aqua diſſipata bilis coit in maſſam ſpiſſam,
cum dulcedine, quae in aere deliqueſcit,
lacteſcit, et in ſpiritu vini aquoſo ſoluitur
bulo aut argilla coaleſcit. In bile tum
tum hominis non raro calculi naſcuntur,
tanta eſt in homine varietas, vt in claſſes
diſpeſci poſſint, cum hiſtoriae pleraeque

Graecos enim ſcriptores de hoc morbo, qui tempora renouatarum demum litterarum innoſſiluiſſe, duas tamen claſſes vtcunque conſtitui poſſe, Ill. Auctor notat. Alii grandes iidemque rotundi ſunt, oliuae, nucis, oui aut alia eiusmodi ſpheroide figura: etiam teſſerarum ſimiles, quando ſaepe in eadem veſica ſe confricuerunt. Hi calculi plerumque non ſunt lamellati, et alias ex calce aliqua parte aut flauis aut viridibus glebulis componuntur, inodores, iidem et inſipidi. Plerumque ad ignem liquefcunt et funduntur fere vt cera ſigillaris, et flammam concipiunt; in his bilis abundat: alii ardorem recuſant, quibus plus terrae ineſt. Denique frequentiſſimi ſunt calculi minores vnius alteriusue pollicis, fere ſemper nigri, etiam pellucidi, anguloſi, facierum polyhedrarum. Hi ſemper viſi ſunt arſiſſe. Reperiuntur etiam in ductu cyſtico et ductu hepatico aut choledocho calculi, variae figurae, ſubrotundi, etiam anguloſi et numeroſi, vt in felliſ veſicula, inflammabiles, flaui, alias tamen terrei et non inflammabiles. Chemica bilis analyſi obtinentur ſal, tanquam ſpuma apparens; aqua in magna quantitate; aqua porro multo ſale volatili impraegnata; adſcendit oleum ſpiritu leuius, flauum, fluorum, lentum, poſtea ſpiritu grauius, piceum, nigrum, empyreumaticum. Salem volatilem plurimi auctores ſeparare non potuerunt; pauculum alii admiſcerunt et abundius alii. Remanet demum carbo nigerrimus. Calculorum analyſis ea eſt: inſipidi fere ſunt, tamen etiam amari. Alii in aqua ſoluuntur; alii etiam a ſalibus lixiuioſis; optime colliquefcunt in ſpiritu terebinthinae. Alii ſoluuntur in ſpiritu vini. In ſpiritu nitri tenereſcunt et ſoluuntur. Etiam in raphani ruſticani ſucco cruſta exterior molleſcit, et in ſucco cochleariae atque

naſturcinarum plantarum ſoluuntur. Igne demum ſubiecto calculi dant aerem, phlegma, oleum duplex et carbonem. Ex quibus apparet, bilem non eſſe acidam, neque etiam alcalinam; oleum copiam maiorem habere et acriorem eſſe ſanguine, et a reliquis humoribus humanis in eo differre, quod cum eadem fere aquae copia portionem olei amari et penetrabilis maiorem admixtam poſſideat, cui ſal volatilis vrinoſus admixtus est. Cum praeterea bilis olea aquae reddat miſcibilia, etiam ea dote ad ſaponem accedit.

p. 578. Bile conſiderata, viam eius nunc exponit Illuſtrator, illam primo ex hepate per ductum hepaticum in choledochum, hinc in duodenum, dein ex vesicula in choledochum itidemque in duodenum, tandem ex hepate in veſiculam fluere aſſerit. Alias vias per quas bilis ex hepate ad veſiculam veniat, atque bilem in veſicula generari, Noſter negat. Tandem etiam oſtendit, bilem a veſicula ad hepar redire. In ſano quidem homine bilis cyſtica ad hepar non venit, quando vero pertinax obſtructio ductum choledochum clauſit, vel calculus iter ad inteſtinum obſedit, videtur de ipſa cyſtide fellea bilis in ductus hepaticos atque per eos in venam cauam et in vniuerſum corpus ſe diffundere. Non tamen omnis icterus eſt a cyſtica bile. Frequentius eſt ab hepatica, retrorſum reuoluta, quoties eadem obſtaculum habet in ductu choledocho. Denique nec bilis iter obſtructum ſolum eſt cauſſa icteri, non certe eiusmodi, quem oculi medici poſſint oſtendere. Naſcitur enim icterus, et bilis adeo retrograda in ſanguinem refluit plurimas ob cauſſas, quarum aliquae vix corporeae ſunt, vt ex ira. Huc etiam pertinet moeror profundior, terror, vulnus cerebri, febris acuta, vulnus a ſtlopo illatum, tumor in pleura natus: comeſti fructus ſolani, demum ipſe viperae morſus.

In

In harum cauſſarum nonnullis, vt in febre acuta etc. poſſit ſubeſſe latens hepatis inflammatio; in aliis malis bilis motus videtur incitari; in aliis credas tardari bilem et eius motum lenteſcere, vt anguſtas et rugoſas vias cyſticas ſuperare nequeat, vt in dolore animi. In nonnullis demum ſuſpicari poſſis, ductus choledochi exitum arctatum fuiſſe. Haec via praeter naturam eſt, neque poteſt cum veteribus aut aliis recipi, partem aliquam bilis in ſano homine per hepar in ſanguinem venoſum refluere. Cum bilis ex veſicula non naſcatur, neque ab ea in hepar ſani hominis redeat, atque ab hepate ad inteſtinum et ab eodem ad veſiculam veniat, vt per ductum ſuum in idem inteſtinum redeat, patet, eius in hepate vnicum fontem eſſe. Quaeri autem poteſt, ex quibus vaſis bilis decedat? ex venis generari bilem vel neque portarum cauſſam probabiliorem videri, Noſter autumat; ſiquidem omnia ad bilem generandam idonea ei inſint. Sanguinem habet eiusdem indolis particulis pleniorem, quae in bile abundant. Deinde ſub putrido humore, qui videatur eam ad alcalinam naturam et ad putredinem concipiendam aptam indolem adiuuare poſſe, quae eſt in bile. Porro bilis viſcidior eſt, quam plerique humores humani. Eſt autem etiam eius proprietatis in vena portarum peculiaris cauſſa, et in principiis venae portarum lente mouetur ſanguis. Quodſi nunc motus ſanguinis in hepate lentiſſimus eſt, trahent ſe particulae pingues, quae bilem generant, et is lentor coniunctus cum circuitu tardiori aptiſſimus erit generando viſcido humori, qualis eſt in bile. Cum itaque multa praecipua vena portarum habeat, quae omnia non ſunt in arteria, cui ſanguis idem eſt, qui in renibus, et idem pari celeritate mouetur, bilem ab iſta vena ſecerni, colligendum eſt.

p. 601. Cum lentus in hepate ſanguinis motus ſit, et bilis in veſiculam recepta in quietem reducatur, ideoque periculum obſtructionis maximum ſit, aliae vtilitates praeter cor hepati datae ſunt, quarum aliae conſtantes ſunt, aliae ad certa tempora reſtringuntur. Perpetuus eſt motus reſpirationis, quo hepar vrgetur; videtur autem eius effectus in hepar quam in veſiculam promtior eſſe, inanitur tamen ea reſpiratione. Praeterea veſicula fellea vomitu depletur et peculiarem ſuam compreſſionem a viſceribus, cibum recipientibus, habet, quae vero vires non perpetuae ſunt. Veſicula autem diſtenta proprio motu ſe non conſtringere, nec bilis hac ratione prodire poteſt. Copia bilis, quae ſecernitur, non exigua eſt, variat tamen, ita vt in morbis et ira abundantior generetur, et in homine in ſiniſtra decumbente melius inaniatur. Secreti iſtius humoris pars in venam cyſticum redit, maior vero pars ad inteſtina ſe convertit, tuncque aliqua mutatur, aliqua cum excrementis diſperit. An autem bilis pars reſorbeatur et ad ſanguinem veniat; certo definiri non poteſt, ſi enim reſorbeatur, eam non acrem eſſe et vim ſuam acrimiam amiſiſſe, putandum eſt. Vtilitates bilis magnae ſunt; primo videtur inſeruire diſſolutioni ciborum, et cum muco, et cum oleo et cum aqua ſe miſcere, eaque omnia alioquin hoſtiliter ſe repulſura in vnum homogeneum magma ſoluere. Porro ad acidi ſubactionem confert, quod officium cyſticae potiſſimum bilis eſt. Praeterea ad motum periſtalticum quidquam facit, licet non negandum, hanc vnicam motus iſtius cauſſam non eſſe, quippe qui ſit in inſectis, quibus hepar nullum eſt, neque bilis vlla. Ab ea demum ventriculum ſtimulari, vt famem percipiat, credendum eſt. Inter hepatis vtilitates prima, quae inquirenti ſe offert, eſt generatio bilis, tanquam ſucci, ſine quo cibi coqui nequeunt. Facile etiam

etiam adparet, hepar diaphragma replere et ſuſtentare, vt et in exſpiratione plenus ſit eius fornix, et inter inſpirandum diaphragmatis deſcendentis preſſionem excipiat et ad ſubiecta viſcera perferat. Sed etiam calore ſui ſanguinis, qui eſt plurimus, ventriculum et colon fouet, neque vero ſuccum alimentitium; cum ab inteſtinis eum non accipiat, coquere poteſt, neque in ſanguinem conuertere. Vltima, quae hic mouetur, quaeſtio eſt, an non ſanguinis circuitum hepar moderetur? *In foetu*, inquit Noſter, *ſibi certum eſt, hepar ſeruire frangendo ſanguinis ab umbilicali fune redeuntis impetui, vt per hepar, arterioſo more diſtributus, multa parte ſui impetus per frictiones innumeras amiſſa, lentior per venas reduces in venam cauam rediret, ſitque hepar tutelae auriculae dextrae praepoſitum, quae tantae ſanguinis innitentis preſſioni non reſiſteret, niſi eam hepar debilitaret.* Ab adulto autem homine magnam partem neceſſariae huius in ſanguinis impetu diminutionis abeſſe, cum totum illud maximae venae vmbilicalis flumen nunc ſiccum ſit, cum tamen in adulto vena portarum multum de celeritate ſanguinis amittat, eiusque ſanguis lentius fluat, ſanguinem ſyſtematis viſcerum chylopoieticorum minori cum impetu in venam cauam proximamque dextram cordis auriculam niti, Ill. Auctor putat.

XII.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies, and Labours, of the Ingenious, in many conſiderable Parts of the World. Vol. LII. Part I. for the Year 1761. London: printed for L. Dauis and C. Reymers. 1762. 4. ad pag. 414. tab. aen 14.

h. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LII. Pars I. ad annum 1761.

pag. 1. 1) *Relatio de vſu Vlicis, ſiue geniſtae ſpeciei,* Furze *dictae, ad ripas fluminum muniendas, in epiſtola* Cl. DAV. WARK ad Cl. STEPH. HALES. Vidit in medio fluminis frutice vlicis arenam retineri, vnde concluſit ad eius vtilitatem in muniendis ripis, et methodum ad haec praeſtanda idoneam deſcribit.

p. 3. 2) *Deſcriptio memorabilis halonis, in litteris* Cl. TH. BARKER ad Cl. WIL. STUKELEY. Memoratis nonnullis, quae mutationem coloris in ſpectro, nec non cometam, in orione viſum concernunt, ad deſcribendam, quae Lyndoni circa vndecimam horam antemeridianam, 20 maio 1737 coelo ſereno atque ſudo per duas fere horas viſa eſt, halonem ſe accingit, eamque in ſchematiſmo exhibet. Conſtabat ex vulgari halone cum circulo horizontali albo, atque ab aliis halonibus, in quibus nulli parelii conſpiciuntur, in nulla re diuerſa fuit, praeterquam quod orbis internus, extremitate ſuperiori ac inferiori cum communi halone connexus, ac iisdem coloribus

foribus licet lucidioribus ornatus, verſus medium quatuor fere gradibus arctior fuit circulari orbe eum ambiente. Ellipticam proinde referebat halonem, cuius diameter maior ſub quadrageſimo quinto gradu viſa, coniugata vero quatuor gradibus minor erat, ob quem ſingularem orbem interiorem Cl. BARKERUS eam notatu dignam iudicauit.

3) *Recenſio meteori in noua Anglia viſi, et ecnephiae procelloſi in ea regione exorti; in litteris* Cl. 10. WINTHROP ad Cl. TH. BIRCH. Anno 1760 decimo maio, fere 35′ poſt horam nonam matutinam, omnes regionum circa Bridgewater in noua Anglia ad 80 milliaria ſitarum, vt poſtea compertum eſt, incolae tribus horrendis, ac ſi maximum explodere-tur tormentum, fragoribus exterriti ſunt. Exploſiones hae intermixtae erant ſono terribili, ac eiusmodi, qui in terrae motibus audiri ſolet, totumque phaenomenon quatuor fere horae minuta durauit. Originem eius, ex relatione fide digni incolae Roxburienſis, aliorumque intra ſphaeram huius phaenomeni degentium, adſcribendam comperiit Cl. Auctor coelitus delapſo globo ignito, diametri 4 vel 5 pollicum apparentis, tantique ſplendoris, vt lumen ſolare impedire non poſſet, quo minus ſub ſole motu horizonti parallelo a ſeptentrionali plaga verſus auſtrum incedens conſpiceretur. p. 6.

Alterum phaenomenon ex ecnephiarum procelloſorum genere fuit. Cum enim decimo iulio Cantabrigiis ante meridiem tempeſtas, flante africo, ſerena et calida eſſet, ac poſt meridiem coelum nubibus obtegeretur, vt tandem circa quintam horam plueret ac ſemel tonaret: eo ipſo tempore plurimi Leiceſtriae incolae non ſine horrore viderunt, nubes ex occidente hiberno, atque occaſu aeſtiuo celerrime conglomerari, quae conglomeratae cum terribili fragore

fragore gyrum formare coeperunt. Hic gyrus ruſus tellurem propulſus in collis arbores primum ſeuiit, easque euulſas ad magnam diſtantiam proſtrauit, lapides ex terra erutos ſecum rapiebat, vnum 150 librarum grauem ad quinque pedum diſtantiam prouoluebat, ac cum flumen huius procellae, quod 40 decempedas latum aeſtimabatur, in planitiem camporum delatum eſſet, dici vix poteſt, quantam vaſtitatem iis intulerit. Emenſum cum tanta clade circiter dimidium milliare in domum Dauidis Linle illapſus, eandem funditus proſtrauit, e quatuordecim tamen hominibus, qui in ea erant, vnus tantum periit.

p. 17. 4) *Litterae* Cl. NEVIL MASKELYNE ad Cl. TH. BIRCH, *concernentes aberrationem radii lucis per lentem refractii, ex figura ſphaerica ortam.*

p. 21. 5) *Excerpta ex litteris Abbatis* DE LA CAILLE ad Cl. WIL. WATSON, *in quibus ſeriem obſeruationum detegendae lunae parallaxi inſeruientium, inſtituendam in inſula Sanctae Helenae* Cl. NEVIL MASKELYNE *commendat.*

p. 26. 6) *Litterae reſponſoriae* Cl. NEVIL MASKELYNE, *ad* Cl. WIL. WATSON.

p. 28. 7) *Diſſertatio de denario Samnitico nunquam antea vulgato, in epiſtola* Cl. IO. SWINTON ad Cl. TH. BIRCH.

p. 39. 8) *Relatio de eruptione montis Veſuuii, in epiſtola* Cl. FRANCISCI HASKINS EYLES STILES ad Cl. PHIL. CARTERET WEBB. Haec triſtis eruptio montis Veſuuii d. 23 decembris 1760 accidit, atque dum fumus in apice montis proruere coepit, et flamma

flamma breui post secuta est, cum ingenti lapidum eiorumque in regiones circumiacentes proiectione, Cl. LOWTHER cum Cl. WATSON, et Abb. CLEMENTE ac rusticis quibusdam ducibus, curiositate ducti, in ascendendo hoc periculoso monte occupati, ab eius apice vix 150 pedes aberant. Fugerunt itaque, et parum aberat, quin cinerum copia et lapidibus proiectis obruti interiissent. Fusius haec describuntur in sequenti numero.

9) *Alia narratio eiusdem eruptionis montis Vesuuii;* in litteris Cl. FRANC. HASKINS EYLES STILES ad Cl. DAN. WRAY. p. 41.

10) *Excerpta ex litteris* Cl. ROB. MACKINLAY ad Ill. Comitem DE MORTON, *Romae datis, nono ianuario* 1761, *quae nuperam montis Vesuuii eruptionem atque antiquam Veneris statuam Romae repertam concernunt.* p. 44.

11) *Cl.* T. W. *epistola ad Cl.* WILL. BRAKENRIDGE, *de termino et periodo vitae humanae, qua lutulenter ostenduntur errores, in ordinando pro Breslauia ex tabulis* HALLEYI *calculo facti, falsaeque inde deductae conclusiones, salubritas, quae in hac vrbe permagna iudicatur, hic examinatur et refutatur, ac verus illius status cum variis Angliae locis comparatur, et, demonstrata imperfectione omnium tabularum ex* 1000 *vitis deductarum, methodus indicatur, ad quam multo accuratior tabula confici possit.* Quamuis vita humana, quae a tot tamque obscuris pendeat cauſſis, nihil sit incertius, ex quo tamen natorum ac mortuorum indices annui conditi et publicae luci expositi sunt, sagacibus admodum ratiociniis animaduersum est, ex vniuersis regionum, vrbium pagorumque incolis multitudini proportionalem vbiuis, si bella, pestes, p. 46.

et

et contagia excipias, numerum hominum nasci, mori, adeo, vt ex dato numero natorum vel demortuorum annuo in data regione numerus incolarum, et vice versa ex numero incolarum dato determinari possit, non qui quidem, sed quot hominum, per annum moriantur, et quae aetates morti maximopere obnoxiae sint, quotue annis totus ille numerus euanescat. Post plurium Virorum Clariss. tentamina tandem MOIVREI AC HALLEYI, Geometrarum illustrium, in subtili hoc argumento tabulae tantam auctoritatem consecutae sunt, vt eruditi curiosiores eas ad ea loca reducere conentur, in quibus viuunt, alii contra ex collatione diuersarum tabularum ea lege reductarum, vt caeteras, quas praestant, vtilitates taceamus, disquirant, quaenam loca reliquis salubriora sint. Reduxit, vt ex epistola suspicamur, tabulas Halleyanas Doct. NEWMANNUS ad ciuitatem inclytam Breslauiam. Ex tabulis ita reductis pro Breslauia cum multis eruditis Cl. BRAKENRIDGE in suis de hoc argumento disquisitionibus, transactionibus insertis, non solum pronunciauit, Breslauiam salubriorem esse Angliae ciuitatibus, inprimis vero Londino, sed Breslauiensium etiam ciuium curam in tuenda sobolis suae salute magnopere laudauit. Hoc aegre fert harum litterarum Auctor, atque omnia conquirit argumenta destruendae huic sententiae inseruientia. Vrget inprimis, terminum, quem HALLEYUS in tabulis suis supposuit, plane differre ab eo, qui ex indicibus natorum ac mortuorum annuis Breslauiensibus in reductione tabularum assumtus est. Cuius diuersitatis cum neque D. NEWMANNUS in reducendis tabulis, neque BRAKENRIDGIUS in ferendo de salubritate Breslauiae iudicio aliquam habuissent rationem, concludit, priorem imperfectam fecisse tabulam, posteriorem in iudicio proferendo grauiter errasse. Plurima tandem

eandem addit de hoc curioſo ac ſubtili argumento, quae nouis diſquiſitionibus latum aperire poſſint campum.

12) *Experimenta de retardando incremento nimio arborum frugiferarum, ad augendam fructuum copiam; in epiſtola* Cl. KEANE FITZGERALD ad Cl. PETR. COLLINSON. Vidit Cl. Auctor, arbores iuniores in ſolo fertili poſitas ad fertilitatem adduci poſſe, ſi pars corticis praecipuorum ramorum reſecetur. Tentauit igitur in quibusdam prunis et ceraſis, in loco fertili luxuriantibus, medio auguſto 1758 haec: corticem ramorum praecipuorum, trunco proximorum, pruni duplici inciſione circulari diſcidit, qua parte laeuis et ſine nodis erat, vtrasque inciſiones tres vel quatuor digitos diſtantes perpendiculari inciſione coniunxit, ſeparauit corticem a ligno, partem nudam et corticem ſeparatum obtexit, ne aer liber accederet, et poſt quartam horae partem, dum lignum ſtillabat, corticem accurate repoſuit, arctisque faſciis ſuperius et inferius conſtrinxit. Ceraſi caudicem ſimili modo decem lineas ſupra terras eminentem tractauit, nec minus varios ramos ceraſi *morelli*, et praecipuos ramos duarum prunorum *perdrigon*, quae vetuſtae luxuriantes quidem, ſed ſteriles erant. Intra menſem intumuit cortex ſupra et infra ligaturam, qua ſoluta omnia optime coalita inuenit, excepta vna pruno *perdrigon*, in cuius praecipuo ramo cortex repoſitus ex parte coalitus, reliqua ſoluta et delapſa erant. Omnia iterum leuiter deligauit vſque ad aeſtatis acceſſum, vbi omnia perfecta erant, efflorueruntet largos fructus protulerunt. Initio menſis auguſti 1759 idem expertus eſt in variis arboribus iunioribus, inprimis duarum iuniorum pirorum, quae nondum efflorueranr, praecipuos ramos ſimili modo tractauit, quarum prior magnam p. 71.

magnam fructuum copiam genuit, alterius ramum circumcisus mediocrem, reliquae arboris partes quidem efflorverunt. Deinde corticem in duobus variis malis accurate separauit et vtrumque permutauit, vt alteri alterius corticem apponeret, qui perfecte accrescebat, vtrisque ramis largos fructus proferentibus.

p. 75. 13) *Relatio de vrtica marina, in epistola* Cl. IOSEPH. GAERTNERI ad Cl. PET. COLLINSON. Reperit Cl. Auctor in littoribus meridionalibus Connubiae varias vrticae marinae species nondum descriptas, quae a Cl. HUGHS Zoophyta appellantur. Cum vero tangentem vix pungant; non recte vrticae marinae dicuntur, et melius referri possunt ad genus *hydrae* LINNAEI, vulgo *polyporum*, cum 1) componantur ex gelatinosa substantia, 2) cum vnum tantum orificium habeant, vsui alimentorum et excrementorum inseruiens, 3) cum idem orificium obtutum sit serie tentaculorum. Nec minus conueniunt cum hydra in rebus accidentalibus, cum degant in aqua, aliis corporibus firmiter adhaereant, lentissime moueantur, viuipara sint, et crescant, etiamsi pars quaedam abscissa sit. Polypi in genere diuidi possunt in duas classes; priores enim irritati tentacula non celant, posteriores ab irritatione se contrahunt.

Altera classis a varia positione tentaculorum, vel in membranaceo integumento, vel in corporis productione, floribus simili, vel in disco polypi positorum, in tres species dispescitur, 1) in *hydram tubifloram*, 2) *hydram coroll'ifloram*, 3) *hydram disciflo-ram*. Prior classis continet peculiarem speciem, *hydram tentaculis denudatis numerosissimis, corpore longitudinaliter sulcato*, hic depictam. Corpus fuscum est, tactu laeue, quamuis sit sulcatum, qui sulci saepe in tres minores diuiduntur, et in marginem dentatum

contin-

continuantur, qui corporis ambitum ſub inſertione tentaculorum circumdat. Numerus tentaculorum ex diſco ad pollicem vſque prominentium, colore viridi et in extremitate colore roſeo praeditorum, inter 120 et 200 eſt. Diſci color eſt fuſcus, os in centro poſitum varia diametro et figura. Sunt et aliae duae varietates, colore diuerſo tentaculorum.

Alterius claſſis primam ſpeciem facit *hydra calyciflora, tentaculis retractilibus variegatis, corpore verruloſo.* Pedunculus cylindricus laeuis, colore carneo, ſuſtinet corpus animalis rotundum, a quo calyx vt membrana continuata oritur, cuius externa ſuperficies et corpus animalis paruis protuberantiis albis obſitum eſt, interna calycis ſuperficies varias ſeries tentaculorum continet, quae maiora ſunt verſus diſcum, quam ad marginem calycis, et transparentia; diſcus ſtelliformis eſt, colore mixto ex fuſco, flauo, cinereo et albo. Hic polypus ſe contrahens corpus in hemiſphaerium irregulare mutat. Altera ſpecies eſt *hydra corolliflora, tentaculis retractilibus frondoſis.* Hoc animal, contractum erucae ſimile, tegitur cute nigro alba, orificium eius in craſſa corporis extremitate inuenitur, in oppoſita adſunt quinque parui denticuli cauum circumdantes. Superficies cylindrici corporis ſex duplices ſeries habet nodorum perforatorum, qui in paruos cylindros extendi poſſunt, quibus animal ſe figere et antrorſum ſe mouere poteſt. Caput, figura ouali vel hemiſphaerica, vacuum eſt et conſiſtit ex fuſca membrana, qua ſimul octo vel decem tentacula inueſtiuntur, quae foramen ſummitatis capitis circumdant, et in varia brachia diuiduntur, multis papillis inſtructa. Hoc animal in fundo maris viuit. Tertia ſpecies eſt *hydra diſciflora, tentaculis retractilibus ſubdiaphanis; corpore cylindrico, miliaribus glandulis longitudinaliter ſtriato.* Corpus ſi extenditur, eſt figura cylindrica, nonnullis

ſeriebus rectis glandularum obſita, quarum vnaquaeque conſtat tribus lineis glandularum, quarum media craſſiſſima eſt. Raro pauciores quam octo ſeries adſunt. Baſis cylindri eſt roſea, reliqua pars flaua, cum cinereo mixta, glandulae colore corporis, media linea ſerierum ſemper alba eſt. Ex diſco polypi proficiſcuntur tentacula octodecim ad triginta ſex, ſubſtantia ſemi transparente, colore albido, ſuperius variegato cum maculis fuſcis. Diſcus conuexus eſt, colore aurantiorum, ambitu maculis fuſcis refertus. Animal irritatum in conoideam figuram contrahitur, in rimis rupium marinarum habitat. Vltima ſpecies eſt *hydra diſciflora, tentaculis retractilibus, extimo diſci margine tuberculato.* Color corporis aeſtate ruber eſt, in fine autumni obſcure viridis vel brunus fit, ſuperficie externa laeui; tentaculis in diſcum inſertis varii coloris; inter haec et membranaceum integumentum eſt ſeries tuberculorum hemiſphaericorum vario colore, quae in ambitu diſci poſitae ſunt. Omnes hi polypi aere accurate expreſſi hic conſpiciuntur.

p. 85. 14) *Catalogus 50 plantarum horti Chelſeiani, Societati Regiae exhibitus a Societate pharmacopoeorum per Cl.* IO. WILMER.

p. 89. 15) *Relatio de cicuta, a Cl.* STOERKIO *commendata*, Auctore Cl. WIL. WATSON. Tres inprimis plantae ſaepe cum cicuta maiori, ad vſum medicum praecipue apta, ob ſimilitudinem confundi ſolent; 1) eſt *cicutaria vulgaris*, in nonnullis Angliae partibus *cow-weed*, in aliis *wild cicely* dicta, quae vernali tempore cicutae ſimilis eſt, priusquam illius petioli maculis purpureis referti ſunt, cicutae tamen odore fortior eſt, folia magis diuiſa et colore viridiori, quam folia plantae *cow-weed*, quae praeterea iam

inter

inter aprilem et maium floret, cicuta demum iunio. Pedunculi cicutae ſunt glabri et maculati, ſemina anguſta, ſulcata, in medio craſſa, in altera pedunculi ſulcati et tomentoſi inueniuntur, ſemina longa glabra, nigra. 2) *Cicuta minor* PARKINSONI, vel *cicutaria tenuifolia* RAII, aeſtate et autumno ſaepe pro cicuta habetur, a qua differt ratione f liorum, quorum color et figura cum petroſelino conuenit, pedunculi non maculati ſunt, et deficit odor peculiaris cicutae. 3) *Myrrhis ſylueſtris ſeminibus aſperis* C. BAUHINI, verno tempore facile cum cicuta permutari ſolet, a qua differunt myrrhidis folia maxime diuiſa et minus viridia, odor eſt debilis et deſunt maculae; ſemina cylindrica, aſpera, in apicem terminantur. Folia cicutae colligantur tempore ſicco, medio maio, dum caules floriferi progerminant, odor fragrans venenatus iam adeſt, et petioli maculis purpureis referti. Ad haec inprimis reſpiciendum eſt ob clima, ſolum, ſitumque diuerſum, quippe quod cicutae radix diſciſſa in Anglia nunquam ſuccum lacteum praebet, qui emanare a STOERKIO dicitur.

16) *Deſcriptio anthelii prope Oxonium obſeruati, data in litteris* Cl. IO. SWINTON ad Cl. TH. BIRCH. p. 94. Anthelii ex eo phaenomenorum genere ſunt, quae raro apparent. In transactionibus non niſi duorum antheliorum ab HEVELIO Gedani 1661. d. 10 ſept. et WEIDLERO in Saxonia 1738. d. 18 ian. obſeruatorum deſcriptiones occurrunt. Tertium hic deſcriptum ac aeri inciſum, die 24 iulii 1760 circa 10 horae minutum poſt ſeptimam horam tempore veſpertino, vidit Cl. SWINTON Cudſdena Oxonium reuertens. Sol verus in regione occidentali erat ac tenuis nubecula eius radios paululum minuebat, in regione oppoſita vero ſplendebat pſeudoſol, nube

atra circumdatus, cuius magnitudo ac ſplendor, quamuis pro diuerſo athmoſphaerae ſtatu continuo diuerſus eſſet, veri tamen ſolis magnitudinem et ſplendorem exaequabat, diſcus vero anthelii non aeque bene terminatus erat ac ſolis diſcus.

p. 98. 17) *Relatio productii naturae Dumbari in Scotia, ſimilis illi in Giants-Cauſeway Hyberniae reperiundo*, ab S. V. RICHARD. Hic deſcribitur portus Dumbaricus, inter duas rupes ſitus, quarum vna eſt promontorium, cuius ſumma pars conſiſtit ex lapide rubro, duro, et lapidi quadrato ſimili, qui ſiſtit pilas trium laterum ad octo vſque, ſubſtantia alba rubra ſelenitica inuicem mixtas, et ex laminis horizontalibus conſtantes, iunĉturis inaequalibus, macilis et venis lapideis albis.

p. 99. 18) *Narratio memoratu digni phaenomeni Oxonii obſeruati, in litteris* Cl. IO. SWINTON ad Cl. TUM BIRCH. Viceſimo primo ſeptembris 1760 verſus veſperam ab horae ſextae 40 minuto vſque ad ſeptimae horae 25 minutum Cl. Auctor conſpexit meteoron nunquam antea viſum, cuius icon aeri inciſa eſt. Atra enim nubes, columnae ex denſiſſimo fumo formatae inſtar, horizonti ad perpendiculum inſiſtens, ſenſim ſenſimque zenith verſus prouoluta, tandem verſus oppoſitam coeli partem ſe extendebat. Ea parte, qua horizonti proxima erat, aliquot gradus lata fuit, reliquae partes tanto latiores viſae, quo propius ad coeli punctum verticale accedebant. Circa horam ſeptimam in circularem fere haec columna orbem commutata iridem retuliſſet, niſi illum eius colores ab ea diſtinxiſſent; inferiores enim partes atrae, altiores ſubfuſcae atque albae apparebant; margines vero ſubflaui primum valde laeuigati ac bene terminati erant, deinde autem irregularis figu-

rae.

nae. Cum hoc phaenomenon per aliquot horae minuta lunam conſpectui plane ſubduxerit, et in locis ab Oxonio quinque quinimo duodecim milliaria diſtitis eodem tempore obſeruatum fuerit: facile apparet, quantae denſitatis, quantaeque altitudinis fuerit. Cl. SWINTONUS illud inter tubas turbineas terreſtres referendum eſſe docet, tantoque magis admirandum eſſe, quanto magis conſtat, tubas turbineas marinas nunquam in mare circa aquam, multoque minus terreſtres Oxonii fuiſſe obſeruatas.

19) *Relatio de nonnullis productis naturae in Scotia, ſimilibus illis in Giants-Cauſeway in Hybernia deprehendendis, in Epiſtola* Cl. EM. MENDEZ DA COSTA ad S. V. RICHARD. In Inſula Cana rupes portus in pilas polyedras eriguntur verſus meridiem, et in fine occidentali Inſulae adeſt rupes humilis, vbi inuenitur pauimentum e lapidibus hexagonis recte compoſitum, vnius pedis et nouem pollicum, cui ſubiacet ſimile pauimentum. Conuexitas pilarum deorſum, concauitas ſurſum ſpectat. p. 103.

20) *Elementa tabularum nouarum de motu ſatellitum Iouis, in epiſtola* Cl. RICH. DUNTHORNE ad Cl. CAR. MASON. p. 105.

21) *Diſſertationem de zoophytis Regiae Societati Scientiarum Angliae ad legendam et diiudicandam tradit* IOE. BASTER. Zoophyta et plantae et animalia ſunt. quippe quae radice corpori cuidam adnexa creſcunt, et tacta ſe affici ſentiunt, eſcamque occurrentem membrorum motu arripiunt. Duo eorum genera poſuit LINNAEUS, dura ſiue lapidea, vel mollia, quibus falſo adnumerat pennatulam, hydram, taeniam, voluocem, cum nec radicem habeant, nec p. 108.

corpori adhaereant, et mera animalia sint. Corallia sunt plantae e conferuarum genere, in quorum apicibus non polypi, sed semina cellulis inclusa reperiuntur, id quod detexit Cl. Auctor in *corallina dichotoma, capillari, articulis cylindricis, breuissimis, dichotomis, subclauatis*, LINNAEI no. 7. *in corallina dichotoma, capillari, articulis omnibus clauatis*, LINN. no. 8. *in corallina capillari, inferne pinnata, articulis cylindricis*, LINN. no. 9. Putat deinde, *penicillum*, siue *corallinam culmo simplici, ramis fasciculatis, fastigiatis, dichotomis flexilibus, inarticulatis*, LINN. no. 10. nec ad corallina, nec ad fertularias, vel ad alia zoophyta pertinere, cum sit vermis tubiphorus ex scolopendrarum genere. In fertularia iam ab initio perfecta vegetatio obseruatur, cum ouula tenerorum instar geniculorum ex corpore matris propullulent, increscant, decidant, et, si lapidem vel aliud corpus durum offendunt, ei adhaereant, donec foetus excludantur. Ouuli testa est vegetabilis, protrudens radiculas et breuibus articulis increscens; internum oui est animale, simul cum testa ramulos spargit, vnde flores siue polypi prodeunt, qui semina siue ouula pariunt. Eiusmodi vegetationem per quatuor menses obseruauit in *fertularia abietina*, siue *fertularia denticulis suboppositis tubulatis, calycibus ouatis, ramulis alternis* LINNAEI no. 5. Imposuit enim fertulariam in vitrum aqua marina plenum, quam in dies bis mutauit, et intra quatuor hebdomadas apex extendebatur et polypus enatus est. Idem obseruauit in polypis plumaceis, qui vero in mari magis, quam in aqua dulci, crescunt.

p. 119. 22) *Narratio inusitati phaenomeni Doretshirae obseruati; in litteris* Cl. IO. STEPHENS ad Cl. EM. MENDEZ DA COSTA. Mense augusto 1751. cum tempestatem per aliquot tempus calidam et aridam exce-

excepit largior pluuia, colles Charmoutho propinqui, ac Dorſetſhira verſus auſtrum proſpicientes, mutata hac athmoſphaera ſubito fumare coeperunt, breuique poſt ſubtili quidem, ſed viſu percipienda flamma, per aliquot dies continuo arſerunt. Poſthaec ſemper quidem fumum emiſerunt, ſed interdum tantum ac per interualla arſerunt vſque ad hiemem. Sequenti tempore, quoties largius, inprimis cum tonitru ac fulgure, pluerat, vel ventus notozephyrus ſeu africus (qui fluctus marinos contra colles hos tanta vi propellit, vt ſaepe numero ingentes eorum partes proſternat,) flauerat, toties ſemper idem phaenomenon apparuit. Cl. STEPHENS perſcrutando anno 1759 interiorem compagem horum collium, illico magnam in iis pyritarum copiam inuenit, qui quidem non conſtituebant aliqua ſtrata regularia, ſed diſperſi, interpoſita terrea maſſa, aceruatim iacuerunt; porro inuenit magnam copiam marcaſitarum, quae fere decimam partem ſulphuris continebant, cornuum ammonis, aliorumque conchyliorum cruſta ex materia pyritarum conſtante circumdatorum, et belemnitarum ſimili materia obſitorum. Colles, qui ad duo milliaria fere excurrunt, a ſuperficie vſque ad libellam maris 35 vſque 40 pedes profundi, fundo inſiſtunt argilloſo atri coloris, bitumine valde impraegnato. Curioſitate ductus Cl. Auctor ex hac collium materia centum libras collegit, eamque coaceruatam aerique expoſitam quotidie aqua humectauit, vnde poſt decem dies calor exortus eſt, breuique poſt aceruus per aliquot horas exarſit, donec omne phlogiſton in eo conſumtum eſſet. In fine tractationis exinde et rationes huius phaenomeni redduntur, et variae concluſiones, quae montes igniuomos, terraeque motus et thermas concernunt, deducuntur.

p. 123. 23) *Additamenta de quibusdam laminis vitri alii in Herculaneo repertis, ex epiſtola* Cl. 10. NIXON. ad Cl. CAR. MORTON.

p. 135. 24) *Deſcriptio Cephi (Cepphus) ex litteris* Cl. LYSENS ad Cl. ROBERT. MORE. ALDROVANDUS quidem iam deſcripſit hanc auem maſculam, a qua differt haec foemina, cum latera mandibularum non purpurea ſint, nec oculi ex parte rubri, nec circa oculos orbis albus, ſed potius ſemicirculus variegatus, femoribus, alias viridibus, hic coeruleis, pedibus et membranis digitos connectentibus in mare fuſcis, in foemina ex parte nigris.

p. 140. 25) *Excerptum ex indice dioeceſeos Holy Croſs dictae in Salop, a die Michaelis* 1750 *ad diem Mich.* 1760. a Cl. ROB. MORE *communicatum.*

p. 141. 26) *Relatio terrae motus, qui Vlyſſipone die* 31 *martii* 1761 *contigit; in litteris ex ea ciuitate die* 1 *apr.* 1761 ad Cl. IOSEPH SALVADOR *datis.*

p. 142. 27) *Alia eiuſdem terrae motus narratio, in litteris* Cl. MOLLOY ad Cl. KEANE FITZGERALD.

p. 143. 28) *Continuata relatio caſus* Cl. WIL. CARY, *cuius muſculi oſſeſcebant. In litteris* Cl. WIL. HENRY ad Ill. CADOGAN. Initio ſaliuatione vſus eſt, et emplaſtra mercurialia bono cum ſucceſſu brachiis et articulis impoſuit. Poſtea per aliquot menſes balnea marina adhibuit bis ſingulis diebus, ac deinde proſpero cum effectu corpus et articulos fricauit cum ſucco quercus marinae; ſic ſanitatem quidem recuperauit et vſum articulorum oſſificatorum, atque genuum callus ita ſoluebatur, vt viginti miliaria anglica vno die conficere poſſet: attamen duri.

dantes brachiorum et musculorum ad carpum vsque continuatur, quamquam non amplius increscit.

29) *Descriptio noui thermometri atque barometri,* p. 146.
data in litteris Cl. KEANE FITZGERALD ad Ill. Comitem DE MACCLESFIELD. Thermometri huius descripti metallici, quod iuxta SMEATHONI tabulam expansionum metallorum ingeniosissime excogitatum atque adornatum est, et quod ex sententia Auctoris multo maiora prae reliquis thermometris commoda habet, ideam aeque ac barometri, ab aliis plane diuersi, vix aliter quemquam consecuturum putamus, quam accurata omnium partium ea constituentium collatione cum schematismis ab Auctore suppeditatis, attentaque totius machinae thermometri ac barometri consideratione.

30) *Narratio terrae motus in Insula Madeira die* p. 155.
31 *martii* 1761 a Cl. TH. HEBERDEN *data, et a* Cl. WIL. HEBERDEN *communicata.*

31) *Relatio de tractatu latine scripto et Societati* p. 156.
Regiae tradito, hoc titulo *)*:* de admirando frigore artificiali, quo mercurius est congelatus, dissertatio, aut. a I. A. BRAUNIO, *per* Cl. WIL. WATSON.

32 - 48) *Variae hic enarrantur obseruationes, quae* p. 173 -
transitum Veneris die 6 iunii 1761 *concernunt, et a* 255.
celeberrimis Astronomis Londini, Oxonii, Parisiis, in Insula Sanctae Helenae, in Suecia, Constantinopoli, in Sibiria, Lugduni Batauorum, et in aliis locis factae sunt.

49) *Casus aegri, ex cuius vrethra calculus magnus* p. 258.
per perinaeum exiit, cum Societate Regia communicatus a Cl. IOS. WARNER, *cui hunc commentarium miserat* Cl.

*) vide Comment. nostr. Vol. X. Part. II. pag. 212.

FREWEN. Nauta, 76 annorum, a ſex vel ſeptem annis doloribus calculi in dies auctis vexabatur; apparuit in latere dextro perinaei verſus ſcrotum tumor durus, increſcens, et partes ita extendens, vt tandem dilacerarentur, et calculus inſignis hic depictus prodiret; vrina deinceps ſemper ex hoc vulnere contracto et calloſo egreſſa eſt. Alius, viginti duorum annorum, per aliquot annos inſignes dolores calculi pertulit, donec tandem perinaeum poſt inflammationem disruptum eſt et calculus egreſſus, altero calculo in vrethra relicto, quem Cl. Auctor hac diſtenta exemit; labia vulneris ſutura vnita intra quatuordecim dies coaluerunt.

p. 264. 50) *Relatio caſus pueri, qui vtrumque malleum et vnum ex incudibus amiſerat, communicata* a Cl. PHIL. MORANT. Accidit hoc malum poſt febrem inflammatoriam malignam putridam, cum cutis eruptione ſcarlatina, tumore, dolore, et obſtructione nati coniunctam; neſcit vero, vtrum membrana ſit deſtructa, an ita relaxata, vt oſſa haec deciderint; auditus tamen maxima ex parte periit. Adfuit fortaſſe abſceſſus tympani, quod inde deſtructum eſt.

p. 265. 51) *Obſeruationes, quae corpus Regis mortuum concernunt*, a Cl. FRANCISCO NICHOLLS. Humi proiectus ſine ſenſu et motu inuentus eſt in conclavi, cum leui contuſione temporis dextri, nec ſanguis amplius e ſecta vena emanauit. In ſectione cadaueris viſcera abdominis integra et ſana apparuerunt, praeter nonnullas hydatides renum; cerebrum ſanum erat; nec ſanguis ibi extrauaſatus; pulmones nec inflammati, nec ſcirrhoſi, attamen pericardium a ſanguine coagulato diſtendebatur, et in media parte lateris ſuperioris ventriculi dextri cordis orificium rotundum craſſitie digiti minimi conſpiciebatur, per quod

quod omnis ſanguis ventriculi dextri in cauum pericardii tranſiit, et cor ita compreſſit, vt ſanguis venarum ad auriculas mitti non poſſet, eaeque vna cum ventriculis vacuae inuenirentur. Cum igitur cor nullum ſanguinem ad cerebrum mitteret, ſtatim omnes animales et vitales actiones ceſſarunt, et mors ſubita ſecuta eſt. Duplex itaque oritur quaeſtio: 1) cur dextrum latus cordis ſanguine tantopere repletum ſit, vt rumperetur? 2) cur ſanguis potius diſruperit ventriculum fortiorem, quam auriculam debiliorem? In trunco aortae aderat transuerſa fiſſura membranae internae pollicis vnius et dimidii longitudine, per quam tranſiens ſanguis ſub tunica externa ecchymoſin fecerat, quae principium aneurysmatis declarabat. Haec diſtenſio aortae profecto iam diu adfuit et debilitatem arteriae pulmonalis et ventriculi dextri iam ab initio excitauit, ipſam autem aortam in ruptura ventriculi violentam diſtenſionem ſuſtinuiſſe, ex recenti fiſſura aortae apparet, in qua diſtenſione proxima cauſſa latet, cur ventriculus nimio ſanguine onuſtus rumperetur. Cauſſa proxima diſtenſionis aortae fuit compreſſio abdominis in deponenda aluo. Alteram quaeſtionem ſoluunt duae res, 1) textura, connexio, et capacitas pericardii, quae vix maior eſt, quam vt cor contineat, dum duo eius caua repleta ſunt, duo autem vacua, 2) ordo, in qua acciderunt hae nimiae diſtenſiones vtriusque arteriae et cauitatum cordis. Prima diſtenſio profecto accidit in aorta, et arteria pulmonalis ſuffecit, ad impediendum ſanguinis exitum ex ventriculo dextro et arteria pulmonali, et nimis extendenda haec caua, vt ideo eodem tempore hae duae arteriae magnae et ventriculus dexter nimis extenſus ſit, et pericardium tertiam partem vltra modum continuerit. Dum itaque circulus ſanguinis in pulmonibus ceſſabat, auricula et ventriculus

ſiniſter

ſiniſter contracti manſerunt, vt interea ventriculus dexter maius ſpatium in pericardio inueniens, tam topere impleri potuerit, donec rumperetur. Adiectae ſunt icones huius cordis rupti.

p. 275. 52) *De inaequalitatibus motuum planetariorum a mutua planetarum attractione ortorum, demonſtratio in litteris* Cl. CAR. WALMESLEY ad Cl. CAR. MORTON.

p. 336. 53) *Recenſio tractatus gallici, Societati Regiae transmiſſi, cui titulus:* Lettres ſur l'Electricité; auctore Abb. NOLLET, a Cl. WIL. WATSON.

p. 344. 54) *Caſus viri, cuius cor inſigne volumen habuit*, a Cl. RICHARD. PULTENEY, *communicatus* a Cl. WIL. WATSON. Vir, 33 annorum, in pueritia rhachitide debilitatus, a refrigerio incidit in pleuritidem, paulo poſt in rheumatiſmum verum vehementem, quo ſedato thermis bis vſus eſt, anxietate autem animi deliquiis et palpitatione cordis vitatis earum vſus impediebatur; rheumatiſmus pectus et genua vehementer affecit, pulſus mollis ac celerimus, palpitatio cordis inſignis, et inprimis ſomni defectus adfuit, nec niſi lateri ſiniſtro ob ſuffocationis metum incumbere potuit. Debilitas eius vsum tantum venaeſectionem, ſed bono cum ſucceſſu, permiſit. Accedit ſenſim hydrops, tuſſis, aſthma, haemoptoes, mors. Cauitas abdominis in ſectione continuit liquorem fuſcum tenuem, ventriculus et inteſtina erant valde inflata, pulmones ſani, ſanguine turgentes pleuraeque adhaerentes; pericardium vbique firmiter cohaeſit cum corde permagno, pallido, textura maxime flaccida. Totum cor aneuryſmaticum viſum eſt, parietibus vbique tenuibus, ipſaque aorta valde laxa fuit, minime tamen concretionem poſſ-

polypoſae inueniebantur. Cor, abſciſſis vaſis maio-ribus, 28 vnciarum pondere fuit.

55) *Narratio quorundam de electricitate experimentorum, facta in litteris* Cl. EDUARD DELAVAL ad Cl. BENIAMIN WILSON. Ingenioſiſſimus DELAVAL per experimenta quaedam Vol. LI. Ph. Tr. deſcripta, lapides aliasque res ex terra confectas, per diuerſas methodos, ac inprimis per diuerſos caloris gradus ex non electricis fieri electricas docuit. Quod cum eruditorum nonnulli ita interpretarentur, eam mutationem corporum non immediate a calore pendere, ſed potius ex omnis humoris euaporatione conſequi, quae accedente calore neceſſario contingit. Huic ſententiae erroneae obuiam iturus ſequens in medium profert experimentum. Si tubulus vulgaris fugendae herbae Nicotianae adaptatus vel aliud corpus tenue eiusdem ſimilisque materiae ignitur, vſque dum rubeat ex calore, tum materiae electricae propagandae aeque aptum eſt, ac ſi frigidum fuerit. Refrigeſcens deinde ſenſim ſenſimque eum caloris gradum conſequitur, in quo maximam electricitatem exſerit; poſt vero paucioribus quam duobus horae minutis omnem perdit electricitatem, quamquam nondum plane frigidum factum eſt. Equis eo interuallo temporis eam humiditatem deſtruendae electricitati ſufficientem imbibiſſe arbitrabitur? Praeterea ad haec experimenta nullum ex eo corporum genere adhibitum, quae humiditatem aeream ſubito attrahunt. Secundum experimentum deſumit Cl. DELAVAL a corpore, in quo per calorem effectus priori plane contrarius ac oppoſitus producitur. Etenim gradus caloris, ad conciliandam aliis corporibus electricitatem neceſſarii, hoc corpus efficiunt non electricum. Eſt illud corpus cryſtallus Yſlandica ex duplici, quam in ea lucis radii patiun- p 353.

patiuntur, refractione, notiſſima, in qua hae[c] plu[ra] nomena conſpiciuntur. Si in aere moderati calo[ris] fricatur, aliqua vix notabilia electricitatis indicia e[a] hibet, deinde increſcens calor ad paululum ma[i]rem gradum eo, quem in manu obſeruamus, omne[m] plane electricitatem deſtruit, tandem refrigeſcit lapis hanc denuo conſequitur. Cl. DELAVAL fu[n]ſtum huius cryſtalli vaſi, mercurio repleto ac gla[ci] circumdato, impoſitum per duas horas caute po[ſi]haec, ne aliquem a manu reciperet calorem, ex[ci]ctum fricauit, ac in eo tum eam electricitatem [de]maduertit, quam nullo alio tempore; poſtqu[am] vero eum in foco ad diſtantiam ignis aliquam p[er] aliquot minuta conſtituerat, electricitas eius to[ta] deſtruebatur, nec frictione aliqua eius ſigna prod[uci] poterant. Hinc Auctor concludit, duo diuerſa [ge]corporum ſolidorum genera, quorum vnum calo[re] conſequitur electricitatem, quo eodem alterum [ha]amittit, cum tertium corporum genus, vt vitru[m], cet. per omnes caloris gradus, in reliquis neceſſa[ri]rios, eandem retineat.

P. 357. 56) *Relatio de encrino cum ſtipite articulato, [in] littoribus Inſulae* Barbados *reperto, qua declaratur, [ad] quodnam genus animalium referenda ſint foſſilia, [quae] dicuntur ſtar-ſtones, aſteriae et aſtropodia in plurib[us] huius regni partibus inuentis: in litteris* Cl. IO. ELLIS ad Cl. EM. MENDES DA COSTA. Eſt *encrinus ſt[i]pite ſtellato ramoſo dichotomo, ſtipite pentagono equi[ſe]tiformi;* ſtipes longitudine tredecim pollicum, di[a]metro tertiae pollicis partis, decreſcit paululum [ad] ſummitate, e vertebris pentagonis teſtaceae ſubſtan[ti]tiae conſtat, tenui cartilagine coniunctis, vnde pe[n]det motus animalis. E centro capitis tranſit canalis per centrum omnium vertebrarum ſtipitis; in di[ſ]tantia vnius pollicis et vltra multae ſeries, e quin[que]

que brachiis cylindricis articulatis verticillatim compositae, obseruantur, quae in quinque cauitates vertebrarum inseruntur; articulus quilibet longitudine et diametro duodecimam partem pollicis aequat, et centrum articulorum coniungit canalis cum centro simili; interior ac inferior superficies articulorum quatuor tubercula ostendit, substantia testacea. Nonnullae vertebrae magis eminent, et anguli in globulos paruos desinunt, qui maiores sunt in vertebra capiti proxima, ipsaque crassitie a reliquis vertebris differunt, et valde exiguae fiunt versus caput. Id, quod dicitur caput, est calyx ouatis, substantia crustacea, in centro stipitis haerens, 1 $\frac{3}{4}$ pollicis longus, et $\frac{1}{2}$ poll. profundus, in cuius centro est cauitas, forsasse cum parte interna vertebrarum stipitis connexa, vbi ventriculus et intestina animalis haerere videntur. Sustinetur vero calyx sex brachiis dichotomis testaceis, quorum singulorum basis tribus articulis constat; vnumquodque brachium diuiditur in duo brachia articulata, inferius conuexa, superius plana, cum sulco profundo in medio ascendente, et duabus seriebus tentaculorum obsito, vt in asteriis. A margine superiori articuli medii brachiorum proueniunt duae series vnguium tenuium articulatorum, digitis similium, semipollicem longorum et in apicem desinentium, qui etiam in conuexa parte duas tentaculorum series continent. Addita est icon encrini aeri eleganter incisa.

57) *Annotatio in locum quendam Editoris Ephemeridum Paris. quibus titulus:* Connoissance des Mouvements Celestes pour l'Année 1762. *facta in litteris* Cl. MATTH. RAPER ad Ill. Com. DE MACCLESFIELD. p. 366.

58) *Excerpta ex litteris* Cl. DE LA LANDE ad Cl. REVIS *e gallico translata.* p. 369.

59) *Ob-*

p. 371. 59) *Obſeruatio tranſitus Veneris ſub ſole die VI. iun.* 1761, *in Inſula* Rodriques, a Cl. PINGRE, *e gallico translata per* Cl. MATTH. MATY.

p. 378. 60) *Obſeruationes inſtitutae in* Promontorio Bonae Spei a Cl. CAR. MASON et Cl. DIXON *ad tempus medium reductae, cum appendice.*

p. 395. 61) *Latitudo Obſeruatorii in* Promontorio Bonae Spei, *determinata per obſeruationes diuerſarum ſtellarum* a Cl. CAR. MASON.

p. 396. 62) *Narratio obſeruationis tranſitus Veneris ſub ſole die VI. iun.* 1761 Madraſſi *in India Orientali* a Cl. WIL. HIRST *factae ac deſcriptae in litteris eiusdem* ad Ill. Com. DE MACCLESFIELD.

p. 399. 63) *Relatio de tractatu impreſſo, latino ſermone, et Regiae Societati tradito, hoc titulo*: de Veneris ad Solis congreſſu obſeruatio, habita in aſtronomica ſpecula Bononienſis Scientiarum Inſtituti, die 5 Iun. 1761. Auctore EUSTACHIO ZANOTTO; a Cl. NATHANAEL BLISS.

XIII.

Noua phyſico-medica.

Academia Scientiarum, elegantiorum litterarum et artium *Lugdunenſis* nuper in conuentu publico, qui poſt diem S. Ludovici celebratur *), non diſtribuit praemium, a b. CHRISTIN conſtitutum, quod promiſerat ei, qui artificium inueniret decoretque, corium adeo durandi et praeparandi, vt impenetrabile glandi plumbeae, e ſclopeto exploſae, et

*) vid. Comment. h. Vol. XI. p. 550.

et acutiſſimae ferri aciei reſiſtat; idem e contrario praemium denuo offert vel rei phyſicae peritis, vel artificibus hac in re verſatis, eosque inuitat, vt in rem propoſitam ſedulo inquirant.

Manhemi in congreſſu publico, qui nuper fuit die 17 menſis octobris, Scientiarum Academia Theodoro-Palatina ex omnibus ſcriptis, quae ad eam ſuper problemate phyſico in hunc annum propoſito*) miſſa fuerant, id praemio dignum cenſuit, cuius adiecta ſchedula nomen IOANNIS HENRICI A GRECHTSON *Saxonia ſuperiori oriundi* continebat. Fictum vero hoc fuit nomen, ſub quo delituit inclytus et ſcriptorum fama celebris vir, IOANNES HENRICUS GOTTLIEB A IUSTI, Regis Boruſſici metallorum Praefectus et ab eodem nuper demum rerum metallicarum et officinarum ferrariarum per omne regnum conſtitutus Director. Poſtulauerat Academia faciliorem minusque ſumtuoſum, cum ratione temporis tum ligni, atque vſu probatum modum ex cupri minera verum excoquendi cuprum.

Hac occaſione Eadem Academia nouas eruditis propoſuit quaeſtiones, quarum altera iterum ad rem phyſicam pertinet; quaeritur videlicet: num ſit res quaedam, ex qua perinde, ac e cobalto praeparari poſſet pigmentum illud coeruleum, quod ſmaltum dici ſolet? Quomodo res illa appelletur, et quo modo ſit praeparanda?

Reliqua problemata cum in hunc et ſequentes annos, tum primi ſecundique ordinis **) nos iam indicare meminimus, vt ea repetere ſuperfluum eſſet.

Virum

*) vid. Comment. h. Vol. XII. p. 163.
**) ibid.

Virum quendam ignotum elogio LUDOVICI DURETI optime conſcribendo praemium aliquod propoſuiſſe, idque Cl. CHOMEL reportaſſe, in ſuperioribus partibus *) indicauimus. Idem vir, vel alius, illius tamen exemplo incitatus, iterum praemium aliquod tricentorum ponderum gallicorum (300 *livres*) ſub iisdem legibus atque conditionibus obtulit Ordini Medicorum Pariſino, quod daretur ei, qui prae caeteris, optime ex illius ſententia in elogio quodam hiſtorico vitam, mores et doctrinam IOANNIS GUINTERI (*Winter*) *Andernaci* Doctoris Regent. Facultatis medicae Pariſinae, Archiatri Franciſci I. deſcriberet. Nunc vero relatum legimus, id accepiſſe LUDOVICUM ANTONIUM PROSPERUM HERISSANT, in Pariſina Vniuerſitate arti medicae deditum, qui in hac vitae deſcriptione plura attigiſſe dicitur, quae ad hiſtoriam medicinae variarumque illius diſciplinarum in hoc ſeculo, per vniuerſalem litterarum reſtaurationem celebrato, complendam pertinent. Vixit autem GUINTERUS ab anno 1487 vsque ad a. 1574. Statim ac hoc ſcriptum ad noſtras peruenerit manus, epitomen illius reddere lectoribus non morabimur.

Aliud et inſignius Idem Ordo Medicorum Pariſinus praecedenti anno accepit beneficium, quo ſimul copia ipſi data eſt, diligentiam induſtriamque diſcipulorum ſuorum excitandi, excitatam vero et pluribus ſpeciminibus probatam praemio adficiendi coronandique. IOANNES enim DE DIEST, Altenanus, Doctor Reg. Ordinis Med. Pariſini, ineunte anno praeterito 1764 mortuus, ſexagena millia ponderum gallicorum, (60000 *livres*) teſtamento legauit eidem Ordini, hac tamen lege, vt promittat atque in ſe recipiat, quolibet biennio dignitatem Licentiati

*) vid. Vol. XI. pag. 56. et Vol. XII. p. 366.

